


202  
E28



92b



ad Syz' am'ff

Aug 1816

404.1



Septimana Philosophica,

Qua

# ÆNIGMATA AVREOLA

DE OMNI NATVRÆ GENERE  
à SALOMONE Israëlitarum sapientissimo  
Rege, & Arabiæ Regina S A B A, nec non  
HYRAMO, Tyri Principe, sibi inuicem  
in modum Colloquii proponantur &  
enodantur:

Vbi paſim nouæ, at vera, cum ratiōne & experien-  
tia conuenientes, rerum naturalium causæ expo-  
nuntur & demonstrantur, figuris cupro incisis  
singulis diebus adiectis.

AVTHORE

MICHAEL MAIERO, Imperialis Conſi-  
ſtorii Comite, Eq. Ex. Med. D. & Cx. Maieſt. olim  
Aulico, nunc illuſtris Principis ac Dn. M A V-  
RITII, Hafſiae Landgrauii, &c.  
Archiatro.



Tumor Dni est  
initium Sapientia. Syr. I.

Francofurti  
Typis Hartmanni Palthenii  
Sumptibus LVCÆ IENNIS.

1620.

Balck

Schaeff

Eloquentia Dei  
donum et opus  
est. Exod. 4.

M





JOANNIS FLITNERI,  
FRANC. P. L. C.

Oda Alcaica

*In artificiose aris ad rituali circumferentiam incis sculpturam, zonias  
Operis summam uno insuui exhibentem.*

**A** elegantis nobile pollice,  
Suas pacatum IENNISI nouo,  
Enucleatum conspicare,  
Miraque plurima disce, LECTOR.

*Si corporum quis simplicium cupit  
Descriptionem, vel paradigmata,*  
**A** es si volet nostrum subire,  
*Orbiculus dabit, ecce, primus.*  
*Perfecta nondum corpora si cupis*  
**C**ognosse, siue horum paradigmata,  
**A** es si velis nostrum subire,  
*Orbiculus dabit hoc secundus.*

**Q**uicunque terra fistillum cupis  
Descriptionem, vel paradigmata,  
**A** es si velis nostrum subire,  
*Tertius Orbiculus docebit.*

**Q**ui nosse gestis res vegetabiles,  
Harumque naturam & paradigmata,  
**A** es si velis nostrum subire,  
*Orbiculus dabit, ecce, quartus.*

**Q**uicunque certam vis animalium  
Descriptionem, vel paradigmata,  
**A** es si velis nostrum subire,  
*Orbiculus docet, ecce, quintus.*

*Quod si creaturam cupis optimam  
Cognosse, qualis scilicet est homo,  
Æs si velis nostrum subire,  
Orbiculus dabit, ecce, sextus.  
Tres colloquentes noscere si cupis,  
Binosq; sribas, & simul aulicos,  
Æs si velis nostrum subire,  
Linea continet hos superna.  
Quod si timorem nosse cupis D E I,  
Exordium veræ sapientiæ:  
Istum sub æris, en, *sinistra*  
*Infimus Orbiculus docebit.*  
Demum eloquens quæ lingua sit optime,  
Vin' scire, donum quæque opus est D E I,  
Istam sub æris, ecce *dextra*  
*Infimus Orbiculus docebit.*  
M A I E R E, totum quando Opus hoc lego,  
Quod S E P T I M A N A M non sine re vocas,  
Vitæ tuæ te *septimanas*  
Haud male perspicio locasse.  
Hinc tantus in te laudis honor suuit,  
Ut nulla longi te mora seculi  
Ex eruditorum phalange  
Eximere aut remouere possit,  
Immunitates hoc satis indicant:  
Hoc dignitates significant tuæ:  
Acceptus ob quas eruditis  
Omnibus hoc titulo bearis:  
M A I E R V S, illustre Aonidum decus,  
D O C T O R , P A L A T I N V S C O M E S , atque E Q V E S ,  
O R A T O R eloquens, acutus  
P H I L O S O P H V S , M E D I C V S peritus.*

*Reueren-*



REVERENDISSIMO, ILLVSTRISS.  
atq; Celsissimo Principi ac Domino, Dn.

# CHRISTIANO WILHELMO,

Postulato ARCHIEPISCOPO Magdeburgensi, PRIMATI Germaniae, Marchioni Brandenburgico, Duci Borussiae, &c.

Domino suo clementissimo,

D. D.

**V**OD Communi diuerbio dicitur, Archiepiscope reuerendissime, Princeps illustissime, Domine clementissime, DEI Optimi, Maximi, Magnalia omnibus, magnorum Principum vero Consilia nulli manifestanda esse, id absque dubio ex diuersissimis causis exortum est. Deus enim, qui VNVS & solus BONVS, Verus, Omnipotens & misericors, bonitatis, veritatis, omnipotentiae & misericordiae

★ 3 ricor

## DEDICATIO.

ricordiaæ sua apertissima vestigia & tecmiria nullibi non exsare desiderat, ut qualis sit, aliquatenus in hac humanae mentis imbecillitate, ab omnibus agnoscatur, idque sine alterius respectu, quemadmodum seipsum in operibus 6. dierum Creatio-  
nis demonstrauit. Verum crescente hominum malitia, Prince-  
cipes, qui reliquis præsunt & dominantur, sua Consilia, antea  
quam in effectum producantur, ne malis hinc ad ingenium  
suum redeundi & iniuste agendi occasio præberetur, aperiri ves-  
tuerunt: Eadem fere ratione inter Philosophos principes illi,  
qui physicam practicam, hoc est, Chymiam, exercuerunt, sua  
arcana vulgo innotescere noluerunt, quæ ut tamen inter se &  
filios artis, bonaque voluntatis quoscunque, communicarent,  
& eadem opera a brutalibus & osoribus absconderent, per Æ-  
nigmata & occultas loquendi formas protulerunt & signifi-  
carunt: Eiusmodi sermones Ænigmatici inter Salomonem,  
omnium Regum & Philosophorum Principem, nec non Hys-  
ram & Sabam reginam, habiti sunt non de rebus nihil aut de  
numero filiorum Niobes, sed de rariſsimis in mundo & pre-  
ciosissimis, quales sunt in scientiis Physicæ practicæ seu Philo-  
sophia HERMETICÆ reconditæ, quarum SALO-  
MONEM (hominum, ut dictum, omnium sapientissi-  
mum, imo & regum ditissimum) ignarum afferere, aut eas ea-  
contra negare, arbitri foret impudentissimi & iniquissimi,  
ut alibi copiosius a nobis demonstratum est: Vacunque erit,  
sive

sue Chymici, siue non, dicti principes fuerint, ego, ut Opera  
Divinae Omnipotentiae & dierum spacio ex nihilo creata aliquo modo contemplarer, & cum absconditis aliis artificum  
inuentis conferrem, ex hypothesi ea huiusmodi statui, nemataria admirationi & prædicationi debitæ erga Deum homini  
deesset: Quem tractatū utpote de DE Imaginalibus & sumis  
mominum secretis agentem, non inepte eminentiori alicui Personæ (quo ad estimationem rei, haud vulgaria, quo ad  
modum tractationis, vix bone limata, sed subitaneo & immas-  
turo parens ex ingenio effusa potius raptim, quam edita conti-  
nentem) obferre & dedicare cum decreuerim, non immerito  
Reuerendissimæ Celsitudini tue eum deberi in primis, iudica-  
ui; tum quia illustrissimo inter Principes Germaniæ loco natus  
sapientum philosophorum arcana non fastidiat, sed ambabus,  
quod dicitur, vlnis amplectatur & foueat, tum quia Divinis  
mancipatus, Germania totius Primum tenens, Creatoris  
summi opera non læuo perlustret oculo, sed Lyncea penitus in-  
trospectat mente, & sapientissime rimetur. Accedit, quod pro-  
tempore nunc in Reuerendissimæ Tuæ Celsitudinis ditione ag-  
am, ad Colloquium eiusdem, philosophis solenne, iam pridem  
inuitatus; de quo Platonis illud; R E S P V B L I C A S tum-  
demum Beatas, cum iis aut philosophi præsent, aut qui præ-  
sunt, philosophentur, maxime dici possit. Proinde mihi nul-  
lum relinquitur dubium, quin hac qualiacunque Ænigmata  
philos

## DEDICATIO.

ricordia sua apertissima vestigia & tecmiria nullibi non extare desiderat, ut qualis sit, aliquatenus in hac humanae mentis imbecillitate, ab omnibus agnoscatur, idque sine alterius respectu, quemadmodum seipsum in operibus & dierum Creatio- nis demonstrauit. Verum crescente hominum malitia, Principes, qui reliquis praesunt & dominantur, sua Consilia, antea quam in effectum producantur, ne malis hinc ad ingenium suum redeundi & iniuste agendi occasio praeberetur, aperiri vete- ruerunt: Eadem fere ratione inter Philosophos principes illi, qui physicam practicam, hoc est, Chymiam, exercuerunt, sua arcana vulgo innotescere noluerunt, quae ut tamen inter se & filios artis, bonaque voluntatis quoscunque, communicarent, & eadem opera a brutalibus & osoribus absconderent, per Aenigmata & occultas loquendi formas protulerunt & signis- carunt: Eiusmodi sermones Enigmatici inter Salomonem, omnium Regum & Philosophorum Principem, nec non Hys- ram & Sabam reginam, habiti sunt non de rebus nihil aut de numero filiorum Niobes, sed de rarissimis in mundo & pre- ciosissimis, quales sunt in scientiis Physicae practicae seu Philo- sophiae HERMETICÆ reconditæ, quarum SALO- MONEM (hominum, ut dictum, omnium sapientissi- um, imo & regum ditissimum) ignarum afferere, aut eas e- contra negare, arbitri foret impudentissimi & iniquissimi, ut alibi copiosius a nobis demonstratum est: Necunque erit,

sue

ſue Chymici, ſive non, dicti principes fuerint, ego, ut Opera  
Divinae Omnipotentiae & dierum ſpacio ex nihilo creata: ali-  
quo modo contemplarer, & cum abſconditis aliis artificum  
inuentis conſerrem, ex hypothefi ea huiusmodi statui, ne mate-  
ria admirationi & prædicationi debita erga Deum homini  
deſſet: Quem tractatū, ut pote de D E I magnalibus & sumis  
mominum ſecretis agentem, non inepte eminentiori alicui  
Personae ( quo ad estimationem rei, haud vulgaria, quo ad  
modum tractationis, vix bone limata, ſed ſubitaneo & immas-  
turo parteu ex ingenio effusa potius raptim, quam edita conti-  
nentem) obferre & dedicare cum decreuerim, non immerito  
Reuerendissimæ Celsitudini tuæ eum deberi in primis, iudica-  
ui; tum quia illuſtrissimo inter Principes Germaniæ loco natus  
ſapientum philofophorum arcana non fastidiat, ſed ambabus,  
quod dicitur, vlnis amplectatur & foueat, tum quia Diuinis  
mancipatus, Germaniæ totius Primum tenens, Creatoris  
ſummi opera non lœuo perlustret oculo, ſed Lyncea penitus in-  
terſpiciat mente, & ſapientiſſime rimetur. Accedit, quod pro  
tempore nunt in Reuerendissimæ Tuæ Celsitudinis ditione aſ-  
gam, ad Colloquium eiusdem, philofophis ſolenne, iam pridem  
inuitatus; de quo Platonis illud; R E S P V B L I C A ſtum-  
demum Beatas, cum iis aut philofophi præſint, aut qui præ-  
ſunt, philofophentur, maxime dici poſſit. Proinde mihi nul-  
lum relinquitur dubium, quin hæc qualiacunque Aenigmata  
philos

## DEDICATIO.

philosophica senis operibus Creationis parallela & correspondentia, Reuerendiss. Cels. T. clementissime acceptura, iisque & authori patrocinium tutissimum præbitura sit; Hisce Reuerendissimam & Illustrissimam Cels. T. cum tota domo Eleitorali Brandenburgica ad innumeros annos in columem D E O OPT. M A X. commendatam velim. Dabam Magdeburgi  
Anno 1620. II. Ianuar. styli vet.

Reuerendiss. & Illustriss.  
Cels. T.

subiectiss.

Michael Maierus D.  
Comes Pal. &c.

PRÆ

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

Rimam, *Candide Lector*, huius mundi Septimanam  
fuisse miraculis plenam & stupendam, in qua omnia  
ex nihilo creata sunt à Deo, ut fateamur necesse est.  
Quid enim humanæ cogitationi occultius aut ab-  
strusius videri potest, quā totum hoc pulcherrimum  
Mundi Theatrum ex non Ente seu barathro tenebrarum produ-  
ctum & formatum, rerum innumerarum varietate ornatisſimum,  
specierumque singulatum propagatione perpetuum redditum?  
Quod cum absolutum sit 6. dierum spacio, ac septimo Sabbatum  
habitum: patet, Omnipotentiam, Bonitatem & Sapientiam Dei  
ex hoc omnium maximo & politissimo Primæ Septimanæ ope-  
re nobis hominibus conspicuam factam, nempe quod potuerit,  
voluerit & sciuerit omnia ita ad hominis commoditatem, usum &  
arbitrium creare & ordinare, ut merito ille (Imagine Dei donatus,  
caterisq; terrenis Creaturis præpositus, cœu Dominus, fuisse ani-  
maduertatur. Inde ea Septimana omnis humanæ initium, vt &  
Divinitas sapientiae indicium extitit, cuius dierum opera miraculosa,  
vt cum summa admiratione contempletur, & grata mente agno-  
scat, quemcunque rationalem, qui brutalī stupiditate aut supina i-  
gnorantia non prohibeat, in his terris decebit. Huius Septima-  
næ mysteria tanta sunt, tamque occulta & abdita, vt apud Iudeos  
usu ac traditione receptum fuerit, ne quis minor 40. annis ea in  
Genesi legeret aut dijudicanda sibi præsumeret, ut pote captum  
iunioris longe superantia. Huius Septimanæ optimus arbiter fuit  
Adamus, qui Creationē Cœli & Terræ, Elementorumq; omnium  
perfectissime calluit; Item aeris meteora, terræ fossilia, vegetabilia,  
animalia, & denique seipsum, hoc est, hominis membrorum & vi-  
serum, nomina & proprietates optime nouit. Post Adamum,

\*\*

eiusq;

## P R A E F A T I O

eiusque nepotes, qui vixerunt ante Diluuium, *Salomon* absq; dubio  
 hanc Septimanam Creationis rerum cæteris hominib. perfectius  
 cognitam habuit, vt pote sapientia ab ipso Deo, ex voto, tanquam  
 singulari Priuilegio donatus. Ad Exemplum, aut potius in reme-  
 morationem illius Septimanæ Creationis, nec non Salomonis sa-  
 pientiæ, & quod ænigmata cum Regina *Saba* ac *Hyramo* Tyrio  
 principe communicarit, certe non puerilia de rebus cuique notis  
 & ante oculos positis, at occultis & abditis, nos hanc *Hebdomada*  
 Philosophicam produximus, in qua de ænigmatibus Chymicis,  
 qualia eorum fuisse suspicamur, potissimum agimus, ea secundum  
 6. summa rerum genera diuidendo & explicando, totidem die-  
 bus absoluenda; Vbi licet contra vulgarem & receptam Philoso-  
 phiam non pauca adferamus, quæ cuidam in superficie ea conside-  
 ranti Paradoxa videri possint: tamen quia per se vera & cum tota  
 natura conuenientia sint, nulli in suis opinionibus obdurato præ-  
 iudicare debent, cui ad illustrandum Chymica ænigmata potius,  
 quam ad docendum proposita existimentur. An vero *Salomon* aut  
 Regina *Saba*, vel *Hyramus* Chymicæ cognitionem habuerint, de eo  
 hic nihil disputabimus (cum alibi, nēpe in Symbolis Aureæ men-  
 sæ, lib. 2. de hac quæstione actum sit) at præsupponemus eius affir-  
 matiuam sententiam, veritati magis consentaneam. Ea omnia,  
 quæcunque sint (certè firmata ratione & vsu) tuo candido iudicio,  
 optime *Lector*, observo, hoc est, vt de non intellectis, non tanquam  
 de non Entibus calculum nigellum feras, sed iudiciis, velut de oc-  
 cultis, quæ non omnibus prostant, oportet, teque eorum indaga-  
 torem decet. Hæc enim meditatione & inuestigatione continua  
 discuntur; non contemptu aut detrectatione. Quod si ex me quæ-  
 fierit, Vnde hanc Salomonice sapientiæ auram occultam hau-  
 serim scias, quod Deus Salomoni immediate & quasi in puncto  
 temporis concessit, id neque tibi, neque mihi denegabit in ediate,  
 per preces, meditationes, inuestigationes, labores & alia media  
 huic

## AD LECTOREM.

huc spectantia , si non ex toto , tamen in parte . Salomon sapientissimus quidem , at homo , fuit , qui falli & seduci potuit , ut Deum verum relinqueret & libidini se manciparet : Nos ne his vitiis , quæ animam & corpus perdunt , irretiamur ; & sapientiam veram à Deo impetremus : eum , qui laigitor est perfectorum munera , orabimus , cui nos omnes commendatos velim

---

## EPIGRAMMA AVTORIS.

**C**VM D E V S ex nihilo pulchrum fabricauerat O R B I S  
Mirifica senis arte diebus opus :  
Septima Lux vidit requiecum , hinc illa quieti  
Facta D E O humana sacra invente fuit.  
Inde Creatoris Bonitas & summa Potes tas ,  
Et que sit rerum prouida Cura , pater.  
Hac ego dum meditor Magnalia maxima , talis  
Hebdomas à Muis est celebrata meis.  
Qua velut vmbra suum conatur imagine corpus  
Reddere , per septem continuata dies.  
His Salomon arguta Sophis anigmata pandit  
Principibus , votum qui Sapientis habet.  
Sat mihi sit Speculum saltē monstrasse politum ,  
In quo res , qualis , conspiciatur , erat.  
Si bene de minimis Rex i s discurrere plantis  
Doctior ad pulchras calluit usque Cedros :  
Quis credat Chymicos illum ignorasse recessus ,  
Queque iacent terra recta metalla sinu ?  
Non absque his potuit dici sapientior omni ,  
Sunt enigmatis qua referenda modis.



TRES SCHOLA, TRES COESAR TITVLOS DE-  
DIT; HÆC MIHI RESTANT,  
POSSE BENE IN CHRISTO VIVERE, POSSE MORI.  
MICHAEL MAIERVS COMES IMPERIALIS CON-  
SISTORII *cfc.* PHILOSOPH. ET MEDICINARVM  
DOCTOR. P. C. C. NOBIL. EXEMPTVS FOR. OLIM  
MEDICVS CÆS. *cfc.*

**AD MAGNIFICVM, NOBI-**  
**lissimum, Excellentissimum,**  
**MICHAELEM MAIERVM,**  
**PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DO-**  
**ctorem, P. L. C. Comit. Pal. Nob. & Eq.**  
**Exempt. promotorem suum sum-**  
**mopere colendum.**

**N**VLLA meam prorsus subit admiratio mentens,  
Cur tibi tres titulos summus Apollo dedit.  
**N**ULLA meam prorsus subit admiratio mentem,  
Cur tibi tres titulos Cesaris aula dedit.  
Hoc tantum miror, fueris quod dignus iisdem,  
Scilicet hanc quemuis munera tantam anent.  
Hoc miror, tibi prouentu multiplici rerum  
Quod natura parens omnia nosse dedit.  
Quod natura suo facies conuexaque mundi  
Ambit complexu, credo patere tibi.  
Sacras fontes docuit te prima iuuentus,  
Eloquiumque DEI paelaque sancta DEI.  
Legiferique potes spatiofa volumina iuris  
Enodare, apices iuris verinqque graues.  
Tetiam sublimi solio Medicina locauit,  
Audeat ut palmam sumere nemo tibi.  
Se quis Galeni libros laudauerit, idem es,  
Inuerit ast aliquem Chemia, primus eris.  
Quid multis? capit is circumfers vertice docto  
Stelligerumque polum, multifidumque solum.

Quam me felicem! tempus felicissimum istud,  
Quo te visendi copia facta mihi est:  
Non mihi maluerim, quas Hermus voluit arenas,  
Non Pactole tuas, non Tage fulue tuas.  
Non te conuenio, quin doctior exeo, quantis  
Me vexti e tenebris, euehis e tenebris!  
Omnis latetur mundus cantante Sileno,  
Me pendere iuuet semper ab ore tuo.  
Miretur Rhodope, miretur & Ismarus Orpheus,  
Me pendere iuuet semper ab ore tuo.  
Gaudet & Phœbo Parnassia gaudet aula,  
Me pendere iuuet semper ab ore tuo.  
Iam dicis, superi teneat quid regia mundi,  
Signaque iam cursu quo duodenam meent.  
Cur nobis non aqua dies cum nocte recesserat,  
Aest annos alibi terminet aqua dies?  
Torrida cur aestas longas exporrigat horas,  
Cur breuiore diem luce sed ardet hyems.  
Delia, ceu Proteus, cur tot mutetur in ora?  
Quid faciat frater, quintus & Erroferat.  
O dicti, quos ista iuuat persuasio, scire  
Quaque cuenta hominis, quaque futura loqui.  
Iam spacia annorum repens ab origine mundi  
Per dissecta nouum secula carpis iter.  
Quas artes linguasque tulerunt tempora prima,  
Certare ut reliquis ditta regna Phœbi.  
Aegyptus studiosa poli quas extudit artes,  
Quas post Phœnices, post Latiale solum.  
Autor quis primus, quod litera scripta nepotes  
Maiorum doceat vulnera, facta, dapes.

*Vi Romana phalanx crevit vicitribus armis,  
Ultimus ut Teuto singula nunc habeat  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi,  
Extulit e terra Teutona terra caput.  
Cerat Teutonia maiestas summa, triumphat  
Inuentis variis Teutona terra suis.  
Hac ego nescieram, Maiere; sed tñclude per te  
Innotuere aliis, innotuere mihi.  
Perge ita, perge tñi scriptis ita spargere famam,  
Nec te maiorem viderit omnis homo.  
Sic te sera dies memori non eximet aeo,  
Sic tua post cineres maxima famarigeret.*

Daniel Rahtrecht Brande-  
burgensis Marchicus P.L.C.

DE

DE NOBILI AVTORE,  
SIMILIBVSQ. IPSIVS OPERIBVS,  
& Dn. LUCA IENNIS, editionem eorum  
procurante,  
ODE ALCAICA,  
IACOBI PONTANI  
*Heidelbergensis.*  
AD LECTOREM.

Vis autor huius, Lector amice, sit  
Libri, atque quantus, lineæ & exteram  
formam ipsius quæ dat, tabella hæc  
exprimit & tibi pingit aptè;  
sed nosse mentem forsitan ipsius  
si gestias, en monstro tibi viam,  
quam calco ego ipse, nempe libros  
ipsius esse tibi puto legendos.  
Multos enim nunc haec tenus edidit,  
id quod sequentes indigitant (1) *Themis*  
*aurata*, quæ Fraternitatis  
de rosea cruce sacra pandit;  
(2) de blateranti voce que maxima  
indignitatem virginis illius,  
rerum abditas quæ qualitates  
simplicium extrahit è latebris,  
*silentium indictum*; inde (2) *Alemannia*  
*inuenta vera*; & (4) *de arbore aelite*,  
quos tempore admodum breui hac in  
edidit vrbe, opere destitutus

ipſi

ipſi domi quæ eſt bibliotheca, quod  
mirabile inter cætera & iſum id eſt,

doctiſque conſtat eſſe fulſas

sæpe de eo & grauitate querelas.

Vt fulget autem Cynthia ſidera  
inter minora, hoc atque modo emicant

(5) bis ſena mensa ſymboſa aurea;

& (6) Tripus aureus; (7) angulosque

Synareſis.

ſortitus orbis quatuor ille, quem

natura nobis promit ab intimis

terræ cauernis, illecebris

atque ſuis precioque mundum

ineſcat omnes; denique (8) ſerius

& ille fulſus, Mercurio datur

quo regnum in omne conditum, quod

infra hominem ratione ſummum eſt;

accedit & nunc (9) docta itidem Hebdomas,

ænigmata edens, de Physica, aurea,

rerumque naturalium ortus

colloquii ſpecie resoluens.

Scriptura vero litera mortua

appellitari cum soleat, niſi,

& maxime in libris Matheſis,

picta figura diem rei addat:

non cerno, cui autor ſcripta ſua æquius

committere vſquam ſit potis, ac tibi,

o L V C A I E N N I S, utpote & qui

non modo in his, ſed & in quibusdam,

hos præter autores, aliis idem

hoc præstitisti, nec modo ligneis,

ſed & figuris æneis, quâ

hoc fieri poterat, decorem

Apoſtrophe  
ad dominū

L V C A M

I E N N I S.

\*\*\*

gauſiſus

gauisus iſiſ conciliare es, vt  
requiri ad iſum hoc plurima noueris.  
ſic detulisti autori honorem,  
iſiſ operique, & id ære ementi.  
Hoc insuper ture quoque comprobas,  
non eſſe plane depositum tibi  
iucundum amorem ſuavis artis,  
eui dederas ſtudium acre pridem;  
ſubinde vero exercitium hoc tibi ad  
manus refumi, dum haud modo te abſtrahant  
negocia in libraria re  
quæ quoque ſæpe inopina gliscunt.  
Proinde macti corpore menteque  
M A I E R E, ſcriptis perge, precor, tuis  
iuuare literariam rem,  
& bene demeritum & deinceps  
qui demererite cupit, accipe:  
L V C A, auſpicatus quod bene es, indies  
fac perſequare, eumque amore  
perpete & officio cole omni;  
nec vos remoto limine diſitios  
lux vlla, vel nox, diſtrahat; at magis  
magisque vero amore iungat,  
cunctipotente regens manu orbem.  
Iſiſ ſoſpites vos in Pylii ſenis  
conſeruet annos, dotibus augeat  
ſummiſque, mentis corporiſque,  
quæque bona extera nuncupantur.  
& docta veſtris turba bonis ſimul  
gaudens fruetur. Vos me itidem, precor,  
amore dignum habete veſtro,  
quos ſtudio yſque colam vicifim.

ad } Virumque  
Nob. auto-  
rem.

ad Dn. L R--  
sam Iennis.

IN

In Effigiem Authoris,  
**EPIGRAMMA DO-**  
**DECASTICHON.**

**M**AIER I quæ sit facies externa, roganti  
Hanc monstro chartam, qua bene sculpta micat.  
**M**AIER I quæ sit facies interna, roganti  
Ingenii monstro germina, monstro libros.  
**Q**uos inter præsens non occupat ima volumen:  
Materies tanto quam bene digna viro!  
**Q**uæ modo sublatum caput inter nubila condit:  
Aera nunc, terræ claustra deinde subit.  
**N**unc perreptat humi, nunc ens vegetable tractat;  
Denique brutorum congregat omne genus.  
**N**unc hominem rimatur, opus prænobile Diuūm:  
In nunc, & librum pondus habere nega.

Ioannes Flitnerus, Franc.  
P. L. C.

\*\*\* 3

IN.

# INDEX ÆNIGMATVM

[quasi Capitum] QVÆ IN HOC  
OPERE continentur.

## PRIMÆ DIEI,

Decorporibus simplicibus, Cœlo & Elementis, cuius  
Ænigmata numerosunt 39.

|   |          |
|---|----------|
| QVÆ peior & dignior pars in philosophia: occulta: an Cœlum; an<br>vero Terra. | Aenig. 1 |
| An Terra facta sit e Cœlo, tanquam basis; an contra Cœlum e Terra.            | 2        |
| An Cœlum sit corruptibilis Terra, aut contra.                                 | 3        |
| Quo vinculo Cœlum & Terra coniungantur.                                       | 4        |
| Quodnam prius fuerit tempore: an Cœlum, an vero Terra.                        | 5        |
| Virum eorum sit maius quantitate.   | 6        |
| Virum virtute.  | 7        |
| Ignis an Cœlo, an vero Terra asscribatur.                                     | 8        |
| Aqua cui asscribatur, Cœlo, an Terra.   | 9        |
| Aer cui asscribatur, an Terra, an Cœlo.                                       | 10       |
| Aer & ignis coniuncti quid sint: an Cœlum, an Terra.                          | 11       |
| Ignis & Terra quid sint ex illis duobus.                                      | 12       |
| Aer & Aqua, quid sint in opere naturali seu philosophico.                     | 13       |
| Aqua & Terra quid.  | 14       |
| Quomodo fiat mutatio Cœli in Terram.  | 15       |
| Quis sit color Cœli.  | 16       |
| Qualis sit color Terra.   | 17       |
| An Cœlum mas sit, an Terra.   | 18       |
| An Terra imprægnat Cœlum.   | 19       |

# ÆNIGM A T V M.

|   |    |
|---|----|
| <i>An &amp; qui Planeta in hoc opere sint.</i>  | 20 |
| <i>Quando &amp; quomodo Mars &amp; Venus huius operi adsinet.</i>   | 21 |
| <i>Vbi coniungantur Sol &amp; Luna.</i>   | 22 |
| <i>An non hic Sol illuminet Lunam.</i>  | 23 |
| <i>Nunquam ne eclipsis Solis aut Luna hic contingat.</i>  | 24 |
| <i>Quam longe Sol a nostris distet oculis.</i>  | 25 |
| <i>Vnde haec omnia tam certo colligantur.</i>   | 26 |
| <i>Vnde constet, Solem abesse à Terra tot semidiametris Terræ.</i>  | 27 |
| <i>Magnitudo Solis respectu Terra quæ, &amp; quomodo indagetur.</i>   | 28 |
| <i>Qui fiat, quod Sol bipedalis appareat, &amp; Terra a deo magna, ut vix aliquot annis circuiri possit, tantilla sit respectu Solis.</i>                   | 29 |
| <i>Cur Sol remotor dicatur a terraestate, quam hyeme.</i>   | 30 |
| <i>Quantus sit ambius circuli Solis, seu eccliptica, iuxta priorem doctrinam.</i>   | 31 |
| <i>Quot miliaria Sol una hora motu cæli primo, &amp; quot secundario seu proprio emetiatur.</i>   | 32 |
| <i>Sol philosophicus habeat ne ille motum aliquem primum ac secundarium.</i>  | 33 |
| <i>Terra quantitas respectu Cæli cuiusmodi sit.</i>   | 34 |
| <i>An Sol cœlestis, an vero philosophicus vere dictus sit ab Anaxagora, lapis rubeius.</i>  | 35 |
| <i>An idem philosophus vere de Luna dixerit, quod Leo Citheronæus inde deciderit: an vero per eundem Leonem, &amp; Lunam philosophorum intellectus sit.</i> | 36 |
| <i>Quæ causa macularum Lunæ viriusque sit.</i>  | 37 |
| <i>Cur non alia corpora particularia in ea videantur.</i>   | 38 |
| <i>Quæ causa sit, illuminationum Lunarium, &amp; eclipsium viriusque luminis, &amp;c.</i>   | 39 |

## INDEX.

## SECONDÆ DIEI.

De Meteoris, seu imperfecte mixtis, cuius  
ænigmata sunt numero 44.

|   |    |
|---|----|
| <i>Condensatio &amp; rarefactio substantiae, an sit in opere philosophico necessaria.</i>   | 40 |
| <i>Vera de duabus hisce rotis elementaribus sit magis necessaria, aut prius, in opere.</i>  | 41 |
| <i>Quæ sit causa efficiens seu monens condensationem &amp; rarefactionem.</i>   | 42 |
| <i>Sit ne &amp; nubes in hoc Cælo.</i>  | 43 |
| <i>Vbi sit a sit hac nubes.</i>   | 44 |
| <i>Qualis sit motus naturalis nubium, an sursum, an deorsum.</i>  | 45 |
| <i>Quis sit color huius nubis.</i>  | 46 |
| <i>An resoluatur &amp; nubes in aquam.</i>  | 47 |
| <i>An ibi quadam uitia sit pluviae.</i>   | 48 |
| <i>An ergo &amp; ros in opere sit.</i>  | 49 |
| <i>An etiam aqua maris.</i>   | 50 |
| <i>Num vapor ab opere abesse possit.</i>  | 51 |
| <i>Quid hic per vaporem, quid per aquam intelligatur.</i>   | 52 |
| <i>An &amp; fumus adsit.</i>  | 53 |
| <i>Vnde fumus albii proueniat.</i>  | 54 |
| <i>An fumus albii &amp; aliam in opere efficaciam habeat.</i>   | 55 |
| <i>An non &amp; ventus huic operi sit conueniens.</i>   | 56 |
| <i>De ventis mundi ph. losophici.</i>   | 57 |
| <i>Num pruina, grando, nix &amp; glacies quoq; in opere philosophico adsint.</i>  | 58 |
| <i>Cum hæc quatuor sint effecta frigoris, quæ sit vera ipsius causa.</i>  | 59 |
| <i>Quæ sit causa tam magna inæqualitatis frigoris locorum versus ortum &amp; occasum Solis sub eadem poli elevatione, cum partes Occidua &amp; magis caleant, &amp; eværigeant.</i> | 60 |
| <i>Quid</i>   |    |

# ÆNIGM A T V M.

|   |    |
|---|----|
| <i>Quid dicendum sit de insufata &amp; monstrosa pluvia, lapidum frumenti,<br/>sanguinis, pisum, ranarum, &amp; his similium.</i> | 61 |
| <i>Qua lapidis fulminei causa, qua &amp; construum, fulminis &amp; fulgoris.</i>  | 62 |
| <i>Quid antiqui poetae de hisce senserint.</i>  | 63 |
| <i>An &amp; fons sit in opere philosophico.</i>   | 64 |
| <i>Quae sit convenientia vel differētia fontis, cum eo, qui belneatur in eo.</i>  | 65 |
| <i>Cum fons sit quasi parens maris, an mare quoq; in hoc opere sit.</i>   | 66 |
| <i>Iris an non etiam sit in opere philosophico.</i>   | 67 |
| <i>Colores Iridis unde, cum Sol nullos colores habere dicatur.</i>  | 68 |
| <i>An colores Iridis non proprie in nube resoluta, sed ex aduerso appare-</i><br><i>ant.</i>                                      | 69 |
| <i>An ad Orientem, ubi arcus Irinus desinit, aurum inueniatur.</i>  | 70 |
| <i>Iris cur Innonis nuncia ab antiquis Poetis dicatur.</i>  | 71 |
| <i>Cur aliquando dua Irides, vel tres, vel etiam tot Soles aut Lune visan-</i><br><i>tur.</i>                                     | 72 |
| <i>Halo quid.</i>   | 73 |
| <i>Quid sentiendum de casu stellarum, siue materie micantis instar stellæ.</i>  | 74 |
| <i>An stella nouæ exoriantur.</i>   | 75 |
| <i>Chasmatum causa qua sit.</i>   | 76 |
| <i>Quid Cometa sint.</i>  | 77 |
| <i>An Cometa quoque supra Lunæ regionem aſcendant, &amp;c.</i>  | 78 |
| <i>Quæ sit Cometas obſeruandi ratio.</i>  | 79 |
| <i>An non &amp; ex circulu, signis, gradibus &amp; polis cœli quadam adſint operi<br/>philosophico.</i>                           | 80 |
| <i>Cum alii hac aliter interpretentur, quid hic sentiendum sit.</i>   | 81 |
| <i>De erectione figurarum cœli, seu nativitatum certarum personarum,<br/>quid sentiendum sit.</i>                                 | 82 |
| <i>Aſtronomia quo censu habenda.</i>  | 83 |

TER<sub>s</sub>

I N D E X  
T E R T I A E D I E I.

De Terræ fossilibus, cuius & nigmata sunt  
numero 75.

|   |     |
|---|-----|
| <i>Cadmus ex quo genere serpentem occiderit.</i>  | 84  |
| <i>Cadmia an in opere necessaria.</i>   | 85  |
| <i>Quid agendum cum hoc dracone Cadmo.</i>  | 86  |
| <i>Quid draconis imperfecto faciendum.</i>  | 87  |
| <i>Cadmia an in se principia philosophica habeat.</i>   | 88  |
| <i>Quid dicendum sit ad hoc, quod alii tria huius subiecti, ut &amp; rerum o-</i><br><i>mniū, principia statuerunt: ut, sal, sulfur, &amp; Mercurium.</i> | 89  |
| <i>Vulgata Chymicorum opinio an impugnandi.</i>   | 90  |
| <i>Quid de noua medicina statuendum.</i>  | 91  |
| <i>Autoritate inflatorum &amp; arrogantium ne quis moneatur.</i>  | 92  |
| <i>Quodnam horum principiorum tempore prius.</i>  | 93  |
| <i>Quod sit nobilius.</i>   | 94  |
| <i>Argentum viuum unde.</i>   | 95  |
| <i>Mercurius vulgaris, cur non sit materia.</i>   | 96  |
| <i>Quis igitur si Mercurius.</i>  | 97  |
| <i>Sulphur quale sit.</i>   | 98  |
| <i>An in montibus generetur.</i>  | 99  |
| <i>Ex quo generetur hoc sulphur.</i>  | 100 |
| <i>Si sulphur philosophicum cum vino quid commune habet, hoc probandum<br/>erit se. undum quinque sensus exteriores.</i>                                  | 101 |
| <i>Clarius exponitur quid sit sulphur apud philosophos, &amp; unde extrahatur,<br/>an e spiritibus, an vero e corporibus.</i>                             | 102 |
| <i>An e Luna &amp; Sole educantur.</i>  | 103 |
| <i>An sulphur hoc in corporibus sulphureis querendum, indeque educen-<br/>dum sit.</i>  | 104 |
| <i>Vilita-</i>  |     |

# ÆNIGM A T V M.

- Vilitatem subiecti eius, unde eorum sulphur educitur, aut lapis conficitur,  
cur philosophi adeo inculcent, & anima sit, ut dicunt. anig. 105
- Quid de Marte Ioui filio statuendum. 106
- Si vilius adhuc Marte id sit, an non sulphur philosophicum lateat in sil-  
ce, aut lapillis albis, quibus ipsum ferrum in chalybem figitur, unde  
Marte fixius eorum sulphur videtur. 107
- Filio misso, an non sulphur philosophicum sit in patre, nempe Ioue. 108
- Quid de Deorum auro, Saturno, sentiendum, anne hic penes se habeat sul-  
phur philosophicum, quod ab eo, veluti virilia, amputandum & se-  
gregandum sit. 109
- Saturni mentio cur roties in schola fiat, si non est requisitum philosophi-  
cum. 110
- Annon cum Saturno aperiantur porta scientiarum, secundum Rha-  
sim. 111
- Ad Venerem, suavitatis Deam, digitus animusque intenditur. 112
- Venus an pro sulphure, an vero pro argento viuo accipiatur. 113
- Quid Venus cum Marte habent commercium. 114
- De Harmonia, Cadmi uxore, Veneris filia. 115
- Aurum quomodo è plumbō generetur per naturam, & per consequens  
possibile sit, ut per artem plumbum in aurum promoveatur. 116
- An Apollo ex Diana, & has ex Saturno oriatur. 117
- An itaque plus gratia & amoris senex nepotibus exhibeat, quam filiis,  
quos deuorare voluit. 118
- Quod si Saturnus cum filia Venere in uno thalamo collocatur, an non  
inde generatio peranda sit. 119
- Quis fiat, quod mater mortalis, à filio immortali in utero eius existente a  
morte non vindicetur in vitam. 120
- Quid? si Saturnus Marti copuletur. 121
- Quid cause sit, quin coeant in unam substantiam mediocris liquefactio-  
nis, temperamentū, & essentiæ aquatæ bac duo corpora nimis dura, sic-  
ca, calida, &c. 122
- \*\*\*\*
- Quid

# I N D E X.

- Quid de Ioue & Martis copulatione sentiendum. 123  
 In Ioue & Venere, tanquam in Tutia, an Tinctura perfectio lateat. 124  
 An Saturnus & Jupiter inter se miscendi. 125  
 Quid si fermentum ex nobiliori genere iam dictis binis inter se mixtis adiiciatur, an non fermentum fermentatum in sui naturam trahat & conueriat? 126  
 Cum philosophi dicant expresse, magisterium fieri ex corporibus & spiritibus, prater corpora iam dicta & spiritu opus est: cum vero abnegent Mercurium vulgi, Antimonium tamen recusare nequeant (cuius signum est, quod ei currum triumphalem attribuunt, & in medicina corporis humani primas) quid sentiendum. 127  
 Cum Antimonium sit crux multorum chymicorum: annon extra artis pomaria eiiciendum sit. 128  
 An fimo vel calore capricorni, rosetum philosophicum latificari nequeat. 129  
 Quod si caper hic Martis occurrat, cui proprius addicatur aries, an non hinc stella in Erichthonio exorta, robur à Marte, fixitatem & calorem acquirereret. 130  
 An non in Sole, Luna, & Mercurio quid veritatis insit. 131  
 Luna motus intermedius inter Saturnum & Solem in sphera subterranea obseruatur apud naturam. An non & hinc apud artem tale quid presupponatur. 132  
 Quid utilitatis sit in Mercuriis extractis ex corporibus tam perfectis, quam imperfectis. 133  
 An non extrahatur Mercurius cum Mercurio & aqua forti. 134  
 Mercurius ex Saturno rite extractus an admittat coagulationem sui in aurum. 135  
 An posset fieri Tinctura, antequam aquationis equilibrium pratergrediatur. 136

# ÆNIGM A T V M.

- An non Mercurius vulgi, vel Saturni, vel Antimonii per aurum coagulari possit. enig. 137
  - Quid de Tinctura volatili statuendum, an ea figura possit, nec ne. 138
  - Quid oleo Antimonii distillari per assensum in Retorta ex Minera post putrefactionem infimo tribuendum sit. 139
  - Anne aquæ gradatius & fixatiua in hoc opere quid præstent. 140
  - Cementatio cum pulueribus (eiusdem efficacia) fixatiuus, quid utilitatis promittat. 141
  - Quid arcani sit in crocis metallorum. 142
  - Quid respondendum sit iis, qui Tincturam quæsuerunt in omnibus hisce, Metallis, spiritibus, Mercuriis, aquis, oleis, salibus, &c. & nihil inuenientes, totam artem damnarunt, ut impossibilem. 143
  - Lapis Tinctura proximus, quis sit. 144
  - An preter hunc alias quoque lapis sit, Tincturam præferens. 145
  - Quid de lapide Lazuli sentiendum sit. 146
  - Quomodo lapidis Lazuli color ex sua minera extrahatur. 147
  - Quid si in opere philosophico, unguento vel pinguedine oleosa, tinctura carulea ex suis corporibus extrahatur, & aquæ pluvia seu clara seruenda commandetur. 148
  - Cur animam lapidis vocet unguenium. 149
  - Cur hac pars lapidis appelletur unguenium. 150
  - Quod sit proprium nomen lapidis. 151
  - Quis sit pater lapidis, & quis avos. 152
  - Ione multorum filiorum patre, num forse hic Dionysius intelligatur. 153
  - Num plus fidendum sit mineris, quam metallis: perfectis, quam imperfictis, corporibus quam spiritibus, aut contra. 154
  - Quid de reductione metallorum in primam suam materiam statuendum sit: an scilicet ea sit superflua; an vero necessaria. 155
  - Quomodo retexi possint metalla. 156
- \*\*\*\* 2
- Quo

# I N D E X

- Quo usque retexenda sint, an usque ad elementa simplicia, an vero amplius ad materiam primam, nudatam ab omni forma. 157  
 Quae sit mens Basili Valentini in descriptione eius, prima materia lapidis philosophici. 158

## Q V A R T Æ D I E I.

### De Vegetabilibus, cuius ænigmata sunt numero 63.

- An non rosa apud philosophos locum habeat. anig. 159
- Quas ob causas rosa vegetabilis assimiletur minerali & philosophicae. 160
- An partus rose virginicus tintetur & quoque assimiletur. 161
- Quæ causa sit albedinis & rubedenis in una specie rosa. 162
- Quæ causa sit, cur spiritus vitrioli tintetur & roscarum rubearum in paucis guttis admistus, rubedinem eius exalteret, angeat, & diu illas am conservet. 163
- Cur aqua fortis capita roscarum rubearum recentium, muria conditarum, pallentium, etiam hyeme optimo rubore tingat & imbuat. 164
- Cur rosa rubea, etiam in frutice manens, fumo sulphuris vulgaris vertatur in album, aut saltem distincta eius folia, quæ fensus attigerit. 165
- Quid antiquiores de rosa rubedine senserint. 166
- An non & lilyum philosophia conueniat. 167
- An non hic spectent flores Vergiliano ænigmate recti, &c. 168
- Quid de Hyacintho. 169
- Quid intelligatur per Hyacinthum. 170
- Narcissus quid habeat mysterii. 171
- Quid significetur hoc figmento in Chymicis. 172
- Quid existimandum de Helenio. 173
- An plures sint planetæ Chymicis allegoriis insigne. 174
- Quid Mercurialis praestet in hoc opere. 175
- Quid

# ÆNIGM A T V M.

|  |                  |
|--|------------------|
| <i>Quid Lunaria.</i>   | <i>anig. 178</i> |
| <i>De flore Solis, an hic quoque Chymiae inseruiat.</i>  | 177              |
| <i>An huius generis plura sint.</i>  | 178              |
| <i>Quid de croco, seu eius flore statuendum.</i>   | 179              |
| <i>Quid sentiendum de elementorum extractione ex chelidonio, quod muris &amp; sepiibus adnascitur.</i>   | 180              |
| <i>Faba Ægyptia seu Colocasia, quid commune habeat cum Chymicis triturationibus.</i>   | 181              |
| <i>An Moly aliquid Chymicae proprietatis in se habeat.</i>   | 182              |
| <i>Quid de Glaucone herba sentiendum, qua pisces, prius mortui, creduntur in vitam rediisse, &amp; aquam repetuisse.</i>   | 183              |
| <i>Quantum fidei illis adbibendum sit, qui flores variorum colorum arte sacere vel tingere presumunt.</i>  | 184              |
| <i>Tritici inuentio &amp; cultus primus cui attribuatur.</i>   | 185              |
| <i>Quid atavii nostri intellexerint per Triptolemi sub igne indurationem, eius currum volatilem, dracones, &amp; frugum seminationem.</i>  | 186              |
| <i>Quinam è philosophis huius agricultura philosophica meminerint.</i>   | 187              |
| <i>Quis progressus sit ab initio ad messem auream.</i>   | 188              |
| <i>Quid deinde agendum, semine tritici preparato.</i>  | 189              |
| <i>Quantus calor huic tritico philosophico, ut feliciter crescat, adhibendus sit.</i>  | 190              |
| <i>Cur contra axiomata Naturae calor Solis in Cancro non sit maximus, in quo maior radiorum eius rectitudo terris communicatur, propior ad verticem nostrum accessus, longior ab equatore remotio; sed in Leone, in quo hec omnia sunt diminuta.</i> | 191              |
| <i>Quis color tritico philosophia maturo, &amp; quod signum eius perfectæ conditionis.</i>   | 192              |
| <i>Vnde illa rubedo exoriatur, ex quibus qualitatibus, vel elementis</i>   | 193              |
| <i>Sit ne multiplicatio Tinctura, ut tritici.</i>  | 194              |
| <i>Quot sint partes arbusculæ triticeæ.</i>  | 195              |
| <i>An &amp; tale quid sit in magisterio, quod triticum regitur &amp; defenditur à</i>  |                  |
| *****  | 3                |
|  | <i>An</i>        |

# I N D E X

|  |                  |
|--|------------------|
| <i>paleis seu aristis, ne volucres id absument, &amp; vacuare linquantur hor-</i>  |                  |
| <i>rea.</i>  | <i>enig. 196</i> |
| <i>Vini inuentis cui asscribatur.</i>  | 197              |
| <i>An Bacchus vini inuentor sit.</i>   | 198              |
| <i>Quot sint gradus tractationis vini, seu eius spiritus educendi.</i>   | 199              |
| <i>Quomodo lapis assimiletur tractationi circa vites.</i>  | 200              |
| <i>Quid etiam circa vini expressionem considerandum.</i>   | 201              |
| <i>Cui assimiletur opus spiritus vini extrahendi.</i>  | 202              |
| <i>An sit similitudo inter tincturam, cor humanum, &amp; vini spiritum.</i>  | 203              |
| <i>Trifolium an non lapidi, qui triangularis est, assimiletur.</i>   | 204              |
| <i>Herba magica apud antiquos quae commemoretur, &amp; quid iis tribuatur.</i>   | 205              |
| <i>De sylva Ne mæ, &amp; leone in ea.</i>  | 206              |
| <i>An sylva ad opus philosophicum spectet.</i>   | 207              |
| <i>Vnde hic leo in hanc sylvam peruenierit.</i>  | 208              |
| <i>Quid de Martis luco censendum, in quo Aeta, Solis filius, vellus aureum suspendit, victoribus periculorum auferendum.</i> | 209              |
| <i>Quid de arboribus Hesperidum, aurea mala ferentibus.</i>  | 210              |
| <i>Quid de ulmo loquace Gymnosophistarum sentiendum.</i>   | 211              |
| <i>De arbore casta Theophrasti, &amp; quæ hic contractionis &amp; expansionis ramorum causa naturalis sit.</i>               | 212              |
| <i>Quid de agno Tartaria existimandum.</i>   | 213              |
| <i>Populus arbor Herculi cursus sacrata.</i>   | 214              |
| <i>Quid de Apollinea amasia, Daphne, statuendum sit, quæ in laurum mutata est.</i>   | 215              |
| <i>Cur myrtus Veneri, &amp; olima Palladi dicata sit.</i>  | 216              |
| <i>Quid de moro arbore &amp; myrrha existimandum.</i>  | 217              |
| <i>Lotos &amp; Pala, quales sint arbores.</i>  | 218              |
| <i>Quid de Platano &amp; Palma.</i>  | 219              |
| <i>Aenigmata vernacula.</i>  | 220              |
| <i>Nonnullarum arborum natura &amp; proprietates chymicis laboribus conuenienter applicantur.</i>                            | 221              |

VIN

ÆNIGM A T V M.  
Q V I N T Æ D I E I.

De Animalibus, cuius ænigmata sunt  
numero 60.

|   |           |
|---|-----------|
| Bos propter quam causam in Ægypto cultus tantoque honore affectus fuerit.                               | ænig. 222 |
| An philosophi quoque equi ac Camelii mentionem faciant.   | 223       |
| An non mulus sit in opere, eiusve similitudo.   | 224       |
| De apro an meminerint philosophi.   | 225       |
| Quid de cerua.  | 226       |
| An & monoceros in arte celebratus sit.  | 227       |
| Inter belluas carnivoras an & Leo philosophis innotuerit.   | 228       |
| An ursus in magisterio cognitus.  | 229       |
| Forte & lupus in magisterio cognoscitur.  | 230       |
| An canis semper lupo coniungatur ut aduersarius.  | 231       |
| Aries an non sit in opere.  | 232       |
| An nunquam per arietis aut ovis pellem liber chrysopœiam continens intellectus fuerit.                  | 233       |
| An non etiam aliquando pantheræ versicoloris mensio fiat.   | 234       |
| Leopardus unde nascatur.  | 235       |
| Quid de lynce.  | 236       |
| Quid cause sit, cur Ægyptii felem adeo honorarint, ut capitale fuerit Romano aliquando occidisse felem. | 237       |
| Quid iidem per Cynocephalum intellexerint.  | 238       |
| An alias canis, si Mercurium denotat, apud antiquos philosophos mentio fiat.                            | 239       |
| Quæ volucres maxime celebratae sint, & in corte philosophica mansuetæ.                                  | 240       |
| De gallinaceis quæ tradantur.   | 241       |
| Cornu in auspiciata avis, quid in philosophia praestet.   | 242       |
|   | Forte     |

# I N D E X.

|  |                  |
|--|------------------|
| <i>Forte &amp; Columba alba est in opere visenda post coruum.</i>  | <i>enig.</i> 243 |
| <i>An &amp; pauo opus hoc illustret.</i>   | 244              |
| <i>Quid causa putetur, cur Noctua Palladis avis estimetur, ut &amp; pauo Iunonis.</i>  | 245              |
| <i>Quid de cygno statuendum.</i>   | 246              |
| <i>Num vultur sit Chymia notus.</i>  | 247              |
| <i>An aquila desit Chymia, &amp; quibus accommodetur rebus.</i>  | 248              |
| <i>Quid de Ibide censemendum, an &amp; illa Chymica sit.</i>   | 249              |
| <i>An Phænicem inter aves viuas, an allegoricas recenseat.</i>   | 250              |
| <i>Quæ sint pisces in mari philosophico.</i>   | 251              |
| <i>An &amp; echeneis ibidem sit.</i>   | 252              |
| <i>Quid de pastinaca marina referatur.</i>   | 253              |
| <i>Quid de purpura &amp; murice sentiendum sit.</i>  | 254. 255         |
| <i>Quæ sint causæ, propter quas adeo frequenter Tyrium colore inculcent.</i>   | 256              |
| <i>Cur AEgyptii onyringum piscem inter sacra animalia coluerint.</i>   | 257              |
| <i>Quid cum Osiris pudendis absuntis factum sit.</i>   | 258              |
| <i>Quo sensu ista dicantur, an historico, an allegorico.</i>   | 259              |
| <i>Quid autores quidam tradant in genere, de differentia, sensu, generatione &amp; proprietate piscium.</i>                            | 261              |
| <i>Cur AEgyptii Crocodilum venerentur.</i>   | 262              |
| <i>Draconis &amp; serpentis natura exponitur, atque ad Chymiam accommodatur.</i>   | 263              |
| <i>Sunt ne plures pisces mira naturæ, qui aliquid mysterii Chymici occultent.</i>  | 260              |
| <i>Cur Mercurius, Deorum nuncius, ut fingitur, in caduceo suo geminos gestet serpentes alternatim sibi implicitos.</i>                 | 264              |
| <i>Cur idem Mercurius AEsculapio, cui serpens quoque pro insigne est, obstericis officium præstiterit, quemadmodum &amp; Dionysio.</i> | 265              |
| <i>Cur Dionysio quoque serpens occisus ascribatur.</i>   | 266              |
|  | <i>An</i>        |

## ÆNIGM A T V M.

- An Python ille, ab Apolline sagittis interemptus, huc quoq; spectes.* 267
- Quid sibi velit Ehidna, eot monstrorum mater.* 268
- An Herculis hydra differat ab echidna & alii eius generis serpentibus* 269
- An viperæ philosophis cognita.* 270
- Quid causa sit, cur a viperæ morti ab eadem remedium sibi querant.* 271
- An alias serpentum genera sint, quæ operi philosophico conueniant.* 272
- Quid Salamandra præstet in hac arte.* 273
- Basilisci usus in philosophia quis.* 274
- Quis sit finis vel usus insectorum in mundo.* 275
- An unquam hec tantilla nocuerint mortalibus.* 276
- Quid insecta ad Medicinam aurigenam conferant.* 277
- Quomodo hoc in insectis fiat cuidens.* 278
- Quid de apibus dicendum.* 279
- Si nulle existerent apes in natura, an ex sola putrefactione apes produci possent.* 280
- Quid de bombyce censendum.* 281
- Anne alia insectorum genera sint, quæ ex putrefactione oriuntur.* 282

## S E X T Æ D I E I,

De Homine, cuius Ænigmata sunt  
numero 38.

- Curenta diuersitas in humana facie obseruetur, ut vix duo Menachmi in mille myriadibus occurrant.* 283
  - Cur in tam angusto humana faciei spacio tam augusta forma & stupenda pulchritudo contineri & variari possit.* 284
  - Quæ species reip. in humano capite adumbretur, & quomodo.* 285
  - Rex septemviralis senatus humani capitis delineatur.* 286
  - Quæ maxima sit Europa cuius dignitas.* 287
- \*\*\*\*\*  
*Vnde*

# I N D E X.

Vnde illud sit, quod Medea dicit:

- video meliora, proboque;
- Deteriora sequor. anig. 288
  - An in hac Europa plures domini & reges sint sui iuris. 289
  - Quomodo intelligendum sit, quod dictum est, intellectum non fieri, organicas mediis, & nihilominus species intelligibiles statuta sunt. 290
  - Species intelligibilis qua sit, & unde fiat. 291
  - Quo medio vel instrumento sensibiles illae species recipiantur & disponantur, cum illae ipsa non inse agant. 292
  - Quomodo differat hic spiritus animalis à rationali hominis anima, & quomodo hæc ab intellectu & specie intelligibili. 293
  - Sensu communī quidam homines viventes intellectum agentem nunquam aut ratiōne cur exerceant. 294
  - Quo fiat, quod homines plures delectentur corporis bonis, & externis fortunis, quam intellectus: cum ramen hæc vera bona sint, illa pro arbitrio usurpantis, interdum quoque mala. 295
  - Cur homo vocetur animal. 296
  - Cur Logici hominem in suis illis terminis animal describant. 297
  - Europa an caput mundi sit. 298
  - Cur Africa pectus in microcosmo exprimat. 298
  - Operationis in utroque corde & Sole, comparatio. 299
  - Quis ad chymiam utriusque mundi, magni & parvi, sit respectus, ubi & potior huius colloqui finis. 300
  - Habent ne cor in corpore illo seu mundo metallico suum motum. 301
  - Quid huic aeri in maiori mundo respondeat. 302
  - In homine, seu pectore eius (quod Africa est) unde initium motus, & quid ei respondeat. 303
  - Sinne quatuor elementa in his quatuor pectore contenta. 304
  - Sit ne aer adeo necessarius ad opus, veluti est homini respiratio, seu aeris attractio per pulmonem. 305
  - Cur Nilus in maiori mundo potius aerem quam aquam referat, respectu minoris,

## ÆNIGM A T V M.

|  |           |
|--|-----------|
| minoris, seu aeris attractionis in pectore.  | anig. 306 |
| De ortu Nili Ægyptii, & quæ aeris in opere philosophico sit origo.   | 307       |
| Cur Africa det homines nigros, utpote Æthiopes seu Nigritas, & an hoc quoque conueniat operi philosophico. | 308       |
| Inferior venter, quamobrem in magno mundo Asiam exprimat.  | 309       |
| Asiatici cur molles & luxui dediri.  | 310       |
| Assine virtus vegetativa lapidi philosophico.  | 311       |
| Quaratione minerale dicatur.   | 312       |
| An in profanis huic quid sit simile.   | 313       |
| Quenam sit illa regis filia.   | 314       |
| Cur lapis animalis dicatur.  | 315       |
| Quomodo vegetare possit, cum lapis sit ex mineralibus, quibus vegetaria vis ascribi non possit.            | 316       |
| America cur cum artibus externis parallelia videri possit.   | 317       |
| An igitur opus philosophicum homini non alias in toto, aut in parte assimiletur.                           | 318       |
| Testimonia autorum quorundam, in quibus partium hominis meminerunt.  | 319       |

SEPTI:

## MUTAMDIVA

## ERRATA.

In Odes Alcaicas Iac. Pontani Heidelb. Strophes 2. versu vlt. Ade,  
puto. & strophes 8. v. 3. lege, terra & car. Pag. 1. lin. penult. Cu-  
misq; Camp. pag. 2. lin. 30. utrig. 3. lin. 8. extremister. 4. l. 3.  
sit dub. 6. l. 19. incorrupt. & lin. vlt. rerum effent. 19. l. 24.  
amore. & l. seq. conuenit, ut. 23. l. 2. distantiam, 25. l. 25. a  
terra conv. 29. l. 20. quinquennes. 37. l. 30. corpulentior.  
38. l. 34. & inter cel. 6. l. 11. & 80. l. 4. Hieroglyph. 80. l. 29.  
lingua vrs. 85. l. 20 sulphur vernum. 91. l. 2. obfito, volupe est.  
116. l. 12. donec ad justam acmen. 141. l. 33. Marmaritide.  
145. l. 22. seu. 217. l. 9. soles mundani. In Indicis item grig-  
gio pto Archelaus, lege Achelous.



# SEPTIMANÆ PHI- LOSOPHICÆ

## Prima Dies:

### DE CORPORIBUS SIM- plicibus, Cælo & Elementis.

**S**ALOMON ILLE ISRAELITARVM REX, vt votum sapientiae obtinuit, sic non solùm apud suos, sed & exteris famâ celeberrimus extitit. Hinc à remotis Arabiae ( vel, vt alii volunt, Æthiopiae ) finibus Regina Saba excitata Hierosolymam magnifico comitatu & donis pretiosissimis instrueta, longis itineribus contendit, nempe vt sapien-  
tiam eius, occultis naturæ mysteriis in modum ænigmaticarum quæ-  
stionum ipsi ad enodandum propositis, exploraret. De hac pruden-  
tissimâ fœminâ, Reginâ, variæ diuersorum sunt opinones. Alii enim  
eam Persicam Sibyllam, quam M. Varro primam in ordine Sibyllarum nu-  
merat, statuunt, vt Nicanor, Iustinus, & Suidas, eamq; ad mare rubrum  
in vrbe Noë natam; alii Babylone patre Beroſo ( qui tribus libris Chalda-  
cam conscripsit historiam ) & Erymanthe nobili matrona: Quidam  
hanc Phæbadem vocant Sambethen, quasi Noæ filiam, à Sem & Iaphet  
ita dictam: A nonnullis Cumana æstimatur, quia ex Babylone venerit  
in Italiam, Cunisq; campanis responsa fatidica reddiderit; ita vt Per-  
sica, Erithraea, Phrygia, Cumia & Cumana pro eadem ab authoribus po-

A

naturæ

natur. *Pausanias* in Phocicis scribit, illam conuersatam fuisse cum Hebreis, qui supra Palæstinam habitabant, ex quorum libris multa didicerat, & fuisse vocaram Sabam. Ideo Hebræam, Iudæam, Chaldaam & Æthiopicam vnam eandemq; fuisse putant. Pausanias de ea ita loquitur: Post 'Demo in fatidicarum fœminarum numerum conscriperunt Hebrei, qui supra Palæstinam sunt gentilem suam Sabam nomine, quam Beroſo patre, matre Erymanthe genitam tradunt: De hac Saba Glycas Annalium parte 2. ita scribit: Ceterum Sabæi natio sunt Æthiopica: Eorum Regina fuit illa admiranda Sibylla: Quippe que cum legem ignoraret, nec vates audiuerſet, per Salomonem sapientia subministratorem Deum prædicauit: Celebretur, ait, Dominus Deus ille tuus, qui tibi sic fauerit, vt te Israëlitarum folio Regem imponeret. Eius historia recitat̄ primo Regum, cap. 10. item 2. Chronicorum, cap. 9. vbi distinctè tractatur, quomodo illa cum summo apparatu hominum & cæstelorū portantium dona, aurum, gemmas, & aromata pretiosissima, venerit Hierosolymas ad Salomonem Israëlitarum Regem, vt præsens disceret & exploraret, an eius sapientia fama de eo publicata per totum orbem terrarum, responderet: Quæ postquam diuersis quæſtionibus & anigmatibus Regem tentâſſet, c̄lietq; à Rege dealiis interrogata, in admirationem tantæ sapientiæ raptâ, considerans Salomonis opulentiam, ornatum, seruos, vestimenta, cibos, & sacrificia quotidiana, exclamauit: Beatus es, ô Rex, beatiferuit tui, & populus tuus, qui aſſidue tibi aſſistunt. Benedictus Dominus Deus tuus, quite constituit in throno Regio. Cumq; donasset Salomoni centum & viginti talenta aurii, multasq; gemmas & aromata pretiosissima, reuerla est in suam diſt̄ionem. Quod autem de physicis occultis seu naturalibus eius ænigmata fuerint, inde conſtat, quia ne de rebus Theologicis, nec de Ethicis esse potuerint, in quibus ea à Salomone longissimè distabat, cum eius religio & morum doctrina longè alia eſſet, quam Salomonis, vnde nec à Salomone responsa ſibi ſatisfacientia accipere potuiffet. Subiectum igitur vbiique commune fuit, in quo neutri diuersitas apparet potuit, idque ſolum eſt naturæ (quæ vbiique vna & eadem) conſideratio, nec ſaltē ſpeculatiua, ſed potius practica, qualis ex naturali Philosophiæ opere vera & rebus consentanea probatur. *Suidas* de eādem Reginā in hunc modum scriptum reliquit: *Sibylla Chaldea, quæ à quibusdam Hebraea nominatur, & Persica, ſuo nomine Samberbe dicta, à beatissimo Noa q̄iunda, de Alexandro Macedone yaticinata eſt, cuius meminit*

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM. 3

Nicanor, qui vitam Alexandri scripsit. Hac de Domino Christo & eius aduentu plurima prædictum, de turri Babylonica & diluio. Reliquæ cum ea consentiantur, nisi quod huius libri sunt 24. de gente qualibet atque regionibus diuersis agentes. Georgius Cedrenus, Regina Saba, inquit, quæ à Gracis Sibylla dicta fuit, auditâ Salomonis famâ Hierosolymam venit, ut propositâ quaestione sapientiâ eius periculum faceret. Nam & ipsa Sibylla ob ingenij promptitudinem, sapientiamq; & rerum multarum peritiam magni erat nominis. De hac etiam Dominus dixit: Ab externis terra & finibus Austrinam remisse Reginam, ut sapientiam Salomonis cerneret. De Christo, eiusq; miraculis ita va-  
ticipinata est:

Panibus & quing; & binis ex piscibus olim  
Millia quing; virûm in desertis exsaturabit:  
Quin & fragmentis collectis reliquiarum  
Bissenos cophinos, ut sit spherare, replebit.

Deum quoque, completo seculorum tempore, mundum subuersum dicit, & iudicaturum omnes homines, secundum quod vnuſ- quisque egerit in vita, ita redditum mercedem secundum sua ope-  
ra; bonis & piis vitam æternam, omnibusq; bonis affluentem; im-  
probis vero & sceleratis mortem & supplicia nunquam desitura; hoc modo:

Sed cum iudicium iam tandem venerit orbis,  
Censabitq; pios homines Deus ipse, malosq;;  
Atq; malos rursum tenebras detrudet ad imas:  
Tum denum noscent quâm flagitiosa patrârint;  
Terra piis autem nutrix habitanda manebit.

Hæc Regina postquam ad Salomonem venerat, causam sui aduentus exposuit; Quapropter à Salomone humanissimè accepta & tractata est: Eodem tempore Hyramus Princeps Tyri sagacissimus, qui hasce ex-  
ercitationes Philosophicas iam pridem cum Salomone institutas fre-  
quentauerat, ut vtrunque, & Regem & Reginam, sapientiâ præcel-  
lenti Par illustrissimum, salutaret, Hierosolymam se contulit: Quibus in  
palatio quodam congregatis, Rex animi sui gratitudinem & inten-  
tionem sequenti declaravit oratione:

Magnam me vobis, Principes præclari, debere gratiam, facile agnoscō, Salomonis  
qui, relictis vestris ditionibus & amicis, hucusque meâ de causâ diffi- prima ora-  
cilia suscepéritis itinera, ut in Sapientiæ Theatro inchoanda me-  
tio.

cum iniretis fœdera. Quæ res mihi tam grata, quam quæ gratissima, accidit. Quod si talem me vobis præbere possem, qualem expectatis (de voluntate beneficiendi ne sit dubium) esset sanè cur Deo Optimo Max. perpetuas agerem gratias. Cum itaque sapientia excolendæ gratiâ potissimum conuenerimus: constitui hanc Septimanam nostro colloquio consecrare, per dies singulos ita ordinatam, ut à simplicioribus ad magis composita procedamus. Nam hoc ipso primo conuentus die de Cælo & Elementis singulis tractabimus: Secundo de compositis ex Elementis, at imperfetè mixtis, quæ meteora dicuntur: Tertio die de fossilibus ex terra petitis, inter quæ metalla sunt potiora: Quarto de vegetabilibus quibuscumque: Quinto de animalibus brutis, seu solâ sensitiâ animâ præditis: Sexto de homine rationali: Septimo Sabbatum & Requiem celebrabimus in meditatione supercelestium & æternæ Beatitudinis. De naturis autem iam dictis ita agemus, vt liberè nostras sententias absque alterius præiudicio proponamus ita, vt veritas earum ex causis perspiciat, quibus ænigmata occultæ Philosophiæ seu Hermeticae (propter quæ reliqua omnia discutiuntur) de quaque materiâ adiiciemus, nobisq; in uicem dissoluenda proponemus, in quibus si quis victor euadet, meliori iure hominis (utpote intelligibilis naturæ) nomen obtinebit, quam si decies mille hostium sanguinea manu & ferina rabie occidisset. Ego equidem lubens vestras propositiones sive quæstiones primus experiar præstolando, quid ex arcanis Philosophiæ, vulgo non cognitis, sis allaturi.

## REGINÆ SABÆ RESPONSIO.

Magna est, ô Rex, sapientia tua, admirabile eloquium, & diuinum iudicium; quæ cum mihi in meâ regione, populari famâ, celebrata es-  
sent, non potui quiescere, antequam hisce oculis te præsentem vide-  
rem, & auribus differenter audirem. Quod cum mihi contigerit, fœ-  
licem me existimo; fœliciorem autem, si me, vt tute obtulisti, collo-  
quio & responsione tuâ ad interrogata æquissimâ dignatus fueris.

ANIG.  
M A I.

Primò itaque quærendum, iuxta ordinem à te constitutum, de cœlo  
visibili, eoq; contentis, nec non de Elementis. *Dic igitur, Sa-*  
*pientissime Rex, quæ potior & dignior pars in Philosophia*  
*occulta, an Cælum, an vero Terra?*

SALO-

## SALOMON:

In magno hoc mundo terra est corpulentius & densius Elementum; cælum autem substantia rara & peruvia: deinde terra est centrum; cælum circumferentia: tertio terra est fixa & stabilis; cælum aërium & mobile. Sic Philosophorum cælum & terra se habent. Unde terra nobilior est cælo in hoc magisterio; in magno mundo non item.

## SABA:

Non videtur, quod cælum sit aërium, & terra immobilis stet,

## SALOMON:

Si de Cælo Terraq; compositi Philosophici (quod *mundus philosophicus* hinc dicitur) inquisitio fiat, cum similitudine à cælo & elementis mundi translata ita dicatur: necesse est, ut primò sententiam meam, quæ in multis communi Philosophiæ non correspondet, de hisce præmittam, quod dilucidior aliarum quæstionum fiat explicatio.

Terra in medio mundi sita, immobilis existit, nec, ut Copernicus Terra. ex hypothesi astronomicâ affirmat, cælo stante, 24. horis circumducitur supra polos vel axem mundi; in cuius medio punctus est centralis, ad quem grauia omnia tendunt, nisi impedianter obstatulis. Terram hanc esse magis compactam, solidam & grauem circa partes centro propinquiores, superficie autem contrâ, verisimile est. Terra complectitur, ut continens, in suis lacunis & locis depressioribus aquam, Oceanum & maria.

Aqua igitur secundum elementum, ut terra primum. Aqua. terra unum globum efficit rotundum, qui tamen versus vnam partem ex observatione recentiori depressior inuentus est; siquidem in una parte nouâ Semblâ hyemantibus Sole infra horizontem descendente ad certum diem, ille non prius emergere debuit, si rotunditas perfecta terræ esset, quam in eâdem ab Äquatore declinatione, cum contrâ ferè integro mense citius apparuerit.

Aërglobum hunc circumdat, & extendit se ad extimum cœli stellarum fixarum.

Ignis Elementum quidem est, at certum locum suæ permanentia Ignis. non habet. Est autem in omnibus cæteris Elementis inuisibiliter,

nempe in tertâ, aquâ, aëre: Aër quò altior, eò subtilior & penetrabilior, celerior, serenior, actiuior.

Cœlum aë-  
rium quo-  
modo pro-  
beatur.

Cœlum aërium diximus, primò authoritate Sacrarum literarum, quæ, Mose, ex diuina reuelatione, teste, cœlum ex aqua conditum affirmant, & in Psalmis cœlum ex aquis expansum dicitur. Id ratio quoque affirmat: Nam ex crassiore substantia, quam aér, esse non potest, nec est interstitium, quo aér, qui penetrat omnia, prohibetur, ut non ascendat.

Cœli orbes.

Cœli orbes esse fictitious & saltem hypotheses astronomicas facile quis ex se animaduertet: Ergo Planetæ suos proprios motus libertè perficiunt. Interim aërium illud cœlum 24. horis, cum contentis motu primo, non violentiâ alicuius orbis, sed diuinâ virtute, liberrimè circumducitur. Quæ omnia ab experientia quoq; stabiliuntur: Nam multi Cometæ vissi sunt supra Martis altitudinem ascendisse, qui cùm ex terrâ sint exhalationes eleuatae & coagulatae, à Sole autem illustratae; ( vnde illis lux ) Marsq; ipse Planeta nonnunquam obseruetur Sole inferior: hinc patet, nec esse orbes, nec cœlum diuersum ab aërio tractu sublunari.

Aristotelis  
sententia de  
cœlo.

Aristoteles Ethnicus cœlum statuit ex quinto elemento, in corruptibili & omnis mutationis experite, idq; ideo, quia affirmabat, Mundum fuisse ab æterno, & mansurum in æternum; ut hoc probaret, hanc fictionem de cœli substantiâ introduxit, idq; non aërium, nec cum corruptibilibus elementis quid commune habens, sed diuersæ essentiæ. Idē asserit, quòd Sol & homo generent hominem, animamq; humanam pro entelecheia, seu actu primo & substantia ex elementis orta ac corruptibili habuit. At in his Ethnico Philosopho contradicimus. De Anima Rationali hominis, quod illa non à Sole, nec ex elementis proueniat, septimo huius septimanæ die differemus; nunc de Sole quædam adiiciemus. Est autem in cœlo Sol, quasi cor magni ( vt Plato mundum vocat ) alicuius animalis; à quo tria propagantur in

Nostra ipsi  
contradi-  
cens.

Sol.

Eius lumen.

Calor.

circumposita corpora, nempe, *Lumen, Calor, & Virtus*. *Lumen* communicatur omnibus cœli corporibus, quæ lucent, neimpstellis, a terreno globo, cui circumstant aëri illuminatur, quatenus à solarilumine attingitur. *Calorem* Sol ad inferiora & superiora simul diffundit: ad superiora, nempe Planetas, quorum qualitates & virtutes suo calore temperat, & in effectum ducit: ad inferiora, nempe Terram, ubi mi-

# PRIMA DIES: DE CœLO ET ELEM. 7

neralia, vegetabilia, & animalia eius calore perfusa gaudent, crescunt, & angentur. *Virtutem*, quam similiter circum se superius & in-ferius diffundit, ad stellas, in primis Planetas, ut per reflexionem quan-dam ab illis communicetur rebus nascentibus, cùm singuli Planetæ suas virtutes temperârint & coniuixerint cum solari: ad terram, vbi crescentibus necessaria est omnibus. Et si bene rem introspiciamus, penitusq; consideremus, Sol in cœlo, vt cor in humano corpore pro-cedit in suis operationibus. Cor ex sanguine puriore fabricat spiritus tenues, aërios, sed igneæ naturæ, calidos & siccios, motu contra-ctionis & dilatationis, quos deinde mittit per arterias carotidas in ce-rebrum, vt ibi frigiditate & humiditate cerebri in retiformi comple-xu temperentur & fiant spiritus animales sensibus omnibus & moti-bus causandis in corpore aptis: ita Sol siue ex puriore aëre, siue aliâs, Quas vicis-fabricat essentias subtilissimas, quibus insunt Lumen, Calor, & Vir-tus, antea dicta, easq; transmittit ad stellas omnes circum circa in cœ-lo sitas, hoc est, errantes & fixas. Atque hæ essentiae subtilissimæ ita lumine, calore, & virtute præditæ, temperantur virtutibus illarum stellarum, & tum immittuntur terris, & sunt vis illa viuifica, quæ fa-cit crescere vegetabilia, hoc est, anima vegetabilis in vegetabilibus, ac anima sensitiva in animalibus, excepto homine, qui ex manu Dei suam animam rationalem recipit. Sol autem, præter iam dictas, alias quoque vicissitudines in mundo efficit. Vacuum non dari, nec plura corpora in uno loco, omnibus Philosophis pro axiome est: Deinde turba Philosophica optimè differit de Elementorum incrassatione & attenuatione, cùm inquit: *Quod omne subtilius terræ in aquam abeat, aquæ in aërem, aëris in ignem, & contrâ, quod omne crassius ignis in aërem, aëris in aquam, aquæ in terram descendat.* Ut itaque in his moderatio fiat, Sol sic vide-Sol quo-tur procedere in suis operationibus: Calore suo agens in aquas ter-modo pro-reni globi, Oceanum, maria, lacus, flumina, riuos, &c. extrahit cedat in suis inde puriorem substantiam, quam resoluit in aërem, qui maiorem operatio-locum occupat, vt & altiorem, quam aqua: atque ita continuè ope-nibus. ratur. Aër ille, quò purior, eò altius ascendit. Cùm verò plus aë-ris, quam continens illud mundi requirit, attractum fit, fit in qui-busdam locis (inferioribus sublunaribus, quia ibi aër crassior, quam superioribus) aëris iterum condensatio, nempe vel contractione (vt fit in

fit in alembico calido, qui vapores ascendentes contractione cogit, vt in aquæ formâ guttatum descendant) vel frigore: atque hinc primò nubes, deinde pluvia; quæ ex his postea contingent, sub Meteoris dicenda erunt. Cœlum ergo aërium est, quia nihil est, quo prohibeatur,


- I. Ratio.
  - II.
  - III.
  - IV.
- quo minus aëris sublunaris continuetur cum eo; tum quia materia vaporosa ex terris in cœlum ascendat propter continuitatem & non prohibitum transitum; tum quia cœlum non aërium & ab aëre sublunari diuersum, esset diaphanum, quod falleter nostrum visum, vt & aqua aëri adiuncta (E.g. si quis pedibus genu tenuis contendat in aquam, pedes tumidos & longè maiores, quam sint, fallaciâ duplicitis diaphani, aëris & aquæ intercedentis inter visum & rem visiuvam, iudicabit.) Demonstrant Sacræ literæ quoque, cœlum ex aquâ, hoc est, in aërem rarefactâ, conditum. Ad hanc experientia demonstrat, aërem hunc sublunarem & nobis propinquorem sensim moueri ab Oriente versus Occidentem, vna cum cœlo, licet non ita raptim, propter huius crassitatem & ad mobilitatem minus apti; cœlestis vero summam tenuitatem & ab hoc motionem. Huius rei demonstratio est, vt annotat quoque Henricus Brucæus in Sphæra, quod, qui longqua Oceani spatia ab Occidente versus Orientem, nauibus conficiunt, longè tardiori tempore eò, quam inde ab Oriente huic veniant, eadem proportione venti presupposita, nempe ratione aëris & Oceani sequentis motum primi mobilis: Terra autem immobilis stat, nec motu cœli afficitur, nec proprio rotatur.

## DECLA-

Huius tabulae dorsum pagina 8. facies autem 9. obvertatur.

Diese Figur soll rücklings gegen pag: 8. Angefichts aber gegen 9. gewendet werden.





---

DECLARATIO HVC PERTINENTIS  
MAGNÆ ILLIVS ICONIS SIVE  
Tabulæ.

- a. Terra, Centrum Mundi.
- b. Centrum Solis: a. b. Excentricitas Solis.
- c. Centrum deferentis caput & caudam Draconis in Luna.
- d. Luna in deferente cap. Draconis.
- e. f. Concentrici Lunæ.
- g. Venus: h. Epicyclus Veneris.
- i. Mercurius. k. Epicyclus Mercurii.
- l. Sol. m. n. Orbis Solis.
- o. Axis Terræ: r. Axis orbis Solis.
- p. q. Linea Apogæum & Perigæum denotans.
- f. Epicyclus Martis. t. Mars.
- n. Epicyclus Iouis: x. Iupiter.
- y. Epicyclus Saturni: z. Saturnus.
- A. B. C. D. Sphæra stellarum fixarum.
- E. F. G. H. Primum Mobile.

B

SABA.

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
SABA.

**ENIGMA**

2.

*Anne Terra facta est ex Cælo, tanquam basi, an contra cælum ex terra?*

SALOMON.

Aqua fuit primum Elementum, ex quo condensato, terra; rarefacto, aër & cælum facta sunt. Condensatum verò in hoc opere nobilis rarefacto; quia rarefactum tempore prius est, & condensatum posterius. Hinc cælum philosophicum rude & non maturatum, naturâq; prius est; terra contrâ. De cælo & terra tradunt antiqui Poëtae, quod sint Dii omnium primi, nō geniti, ex quorum concubitu Saturnus & Rhea, nec non Titanes, nati sint: Id ipsum illi de cælo magni mundi, & terreno globo intellexerunt, in quo stultis stultiiores visi sunt: adeò enim sunt absurdâ, ut nullâ egeant refutatione. Qui hæc primum introduxerunt, de alio cælo & aliâ terrâ interpretati sunt: quamvis philosophica planè intelligamus, nempe Gabricum & Beiam. Est autem Gabricus pretiosior Beiâ, quorum ille Terram, hæc Coniugiâ. Cælum refert: Et quamvis Cælum & Terra sint coniuges, inq; matrimonio viuant, tamē Cælum Terra mater, & hæc ex illo facta est.

SABA.

**ENIGMA**

3.

*An Cælum est incorruptibilius Terra, aut contra?*

SALOMON.

Imò: quamvis Aristoteles in maiori mundo contrarium statuat: quod quidem per se incorruptibile existit, quia nulla ibi generatio, nec compositio ex 4. elementis: Ergo nulla corruptio aut dissolutio elementorum. Causa hæc est, quia solus aër purissimus, nec aqua, nec terra, nec ignis ibi est. Manet itaq; ut simplex corpus cælum summum incorruptibile. Quod si Cometa ex vaporibus terræ eò usq; ascendet, qui, quia radios Solis in se admittit, lucet, ut aqua condensata seu gelata, ille successu temporis corruptitur & disparitet. Nostrum autem cælum magis corruptibile est, quam terra, hoc est, citius ex opere fugit in aërem suæ substantiæ persimilem, quam terra, quæ omné ignem patitur: Cælum enim fœmina est, & Terra mas, qui imprimet fœminę vim generatiuam. In maiori mundo contrarium accidit: ibi enim cælum terræ impertit virtutes semifinales & formas earum essentialias, tan-

quam

# PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM.

ii

quam mas fœminæ. Vnde Philosophi non absq; causa dixerunt, opus nostrum esse inuersum mundum: quod enim in mundo superioris, hîc est inferius, & contrâ.

S A B A.

*Quo vinculo cœlum & terra coniunguntur?*

ÆNIGMA

4.

S A L O M O N.

Eodem, quo fœtus & mater; aut quo arbor & pomum; Pomum diuersæ substanciæ est ab arbore, & coniungitur illi per caulem, fœtus matri per umbilicalem venam; sic & terra cœlo. Vt enim in maiori mundo cœlum incumbit terræ, respectu ærei globi terram ambientis, eam fœcundat & imprægnat: sic in philosophico. Terra hîc tamen propinquè cœlo coniungitur, vt proprius nō possit, quamvis aëris crassior intercedat, aut potius aqua, quæ vtrumque colliget, quia ex aqua per rarefactionem & condensationem vtraq; facta sint. Aquitaq; est vinculum, quo Terra & Cœlum coniunguntur, refertq; vicem umbilicis & caulis, imò matris & nutricis. Per aquam autem hic intelligimus aërem crassiorē, aut terram tenuiorem.

S A B A.

*Quodnam prius fuit tempore, an Cœlum, an Terra?*

ÆNIGMA

5.

S A L O M O N.

Mater ex naturæ ordine prior est suo fœtu, sed maritus suâ vxore non semper senior: Angallina, an ouum sit tempore prius, quæstio est antiquissimorum Philosophorum: Ad quam responso circularis & reciproca refertur. Eadem hîc conuenit: Nisi enim terra esset, cœlum nullius esset puritatis, aut pretii: Et nisi cœlum foret, terra non esset producta: Territaq; cœlo qualitates contulit potiores, quas haber, non substantiam: Et cœlum terræ dedit substantiam, non qualitates. In creatione prima maioris cœli & terræ, illud prius factum est, aquis rarefactis; hæc posterius, ex iisdem condensatis. Aqua, vt ibi, vtriusq; materia, sic hîc extitit: Si vero considerentur ut mater aut vxor, illud nō prius est, neq; posterius terrâ, quia sunt correlativa, quorum unum alteri dat Esse, quoad relationem. Nec enim prius quis est dominus, quam seruum habeat; nec seruus, quam dominum: Ita nec aliqua mater est, aut vxor, antequâ habeat prolè, aut maritū, & contra.

B 2

S A B A.

Responso  
circularis.

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
SABA.

ENIGMA

6.

*Vtrum est maius quantitate ex illis?*

SALOMON.

Cælum prævalet terræ, utpote illam ambiens, ut centrum. Est namque terra respectu cœli instar exigui & ferè insensibilis puncti in maiorī mundo, cuius proportio nulla est ad illud: Si enim nulla est proportio inter centrum & circulum quemlibet paruum; quid dicemus de circulo omnium maximo extimi cœli, & terra eius centro? Solem cœlestem terrâ centies sexagesies sexies maiorem statuant Astronomi; quoties ipso Sole cœlum? Forte centies millies, aut amplius: At terram nostram sunt qui millies minorem suo cœlo affirment, idq; ideo, quia terra unitatem referat, aqua denarium, aër crassior centenarium, subtilis cœlestis milenariū numerum. Hæc est catena nostræ rarefactionis, aut condensationis. Hic est circulus, qui absolvitur à nostro cœlo & terra, quo ad ortum & motum perfectionis.

NB.

ENIGMA

7.

*At vtrum maius est virtute?*

SALOMON.

Terra: Secus est in magno mundo, vbi cœlum omnes vires terræ ministrat: Terrain nostro opere viua & aëria est; non mortua, aut inefficax: Hinc viuiscitat cœlum, illiq; suggerit omne illud, quod ei de-est; nempe virtutes terrestres, firmitatem, constantiam, & à corruptione siue fuga præseruationem. Tanta est magnitudo & excellētia eius virtutis, vt, quantum supereretur à cœlo quantitate, tantum hæc supereret illud qualitate. Namque in paruo corpore sæpe magna vis latet.

SABA.

ENIGMA

8.

*Ignis an asscribitur cœlo, an terra?*

SALOMON.

Ignis elementum propriè sit ex aëre ad summum rarefacto: Verū in terra est proprium & proximum eius domicilium: Nisi enim ignis amaret terram, & terra ignem: non esset elementorum mutua con-nexio in corporum ex elementis compositione, & sic compositum statim

statim ex sese concideret, nempe inter ignem & terram lite & discordia facta. In terra itaque ignis quiescit. Sic & in aëre & aqua, quo ad elementa maioris mundi. Eodem modo ignis in terra philosophica latet, ut & in aëre, sed remotè in hoc, in illa propinquissimè. Ne verò quem seducat, quod communiter ignis regionem cœlo proximam constituant: Quod si esset, nunquam terræ adhæret, quæ in centro cœli consistit; quia loco naturaliter à terra diuisus esset: Aër verò & aqua terram ambiunt, quamvis aëris terræ contrarietur in vtrâque qualitate: Cur igitur ignis à terra esset remotissimus, cum qua conueniat in una qualitate, nempe siccitate? Fuga certè, quæ in igne videtur, dum mox disperit sursum pyramidali figurâ tendendo, non est ascensio, sed in aërem transmutatio; quod inde patet, quia mox omnis aëris qualitates & substantiae illi adsunt, non amplius, ignis: si bene consideremus, ignem facilius terræ adhærete, naturali amore, quam aquam terræ aut aëri, perspiciemus. Nam siccitas, quæ propriè retentiva, & ignis & terræ communis est, nunquam recedit ab alterutro: Frigiditas verò, quæ terra & aquæ conuenit, per accidens mutabilis est, nec causam habet stabilitatis: Humiditas insuper, quæ aquæ & aëri inest, expulsiva existit, fluxibilitatis particeps & mutationi valde obnoxia. Hæc est causa, cur naturale vinculum magis sit inter ignem & terram, quam terram & cœlum aërium.

## S A B A.

*Aqua verò cui asscribitur, cœlo, an terræ?*

ENIGMA

9.

## S A L O M O N.

Ex aqua cœlum factum est, immo & terra: sed rarefactio, quâ ex aqua fita aëris, celeriore est condensatione, qua ex aqua fit terra: vnde aqua similior & propinquior est cœlo, quam terræ. Videmus quoque in maiori mundo aquam ex cœlo seu nubibus, hoc est, aëre condensato decidere potius, quam ex terra aquam fieri. Terra nostra est calida & siccata, cœlum humidum & frigidum. Aqua itaque cœlo applaudit, & terræ aduersatur: oportet enim ut duò contraria copulentur, si unum in aliud agere debeat: simile enim in simile non agit, nec a suo simili patitur. Vnde cœlum & terra maximè sibi mutuo contrariantur, & longissimè à se inuicem absunt. Ut enim centrum à circumferentia sua remotissimum est, sic terra à cœlo.

B 3

SABA.

SEPTIMANA PHILOSOPHICA  
S A B A.

ENIGMA

IO.

*Aer, cui assignatur, an huic, an illi?*

S A L O M O N .

Aëris intermedium est inter cœlum & terram, nempe crassior, in quo nō versamur; quo circa cum vtroque conuenit. Ita & in magisterio philosophico aëris cœlum connectit terræ, & à neutro disiungitur: Duo enim contraria absque medio non continentur. Interdum itaq; aëris terræ, interdum cœlo ascribitur pro diuerso respectu; Nam aëris propriè cœlestis est affinitatis, & quasi cœlum ipsum ( excepto eo, quod hīc de crassiore loquamur ) sed est quoque terræ communis; quia mater cœli, at aqua terræ videtur,

S A B A .

ENIGMA

II.

*Aer & ignis coniuncti quid sunt, an cœlum, an terra?*

S A L O M O N .

Terra: Quod si mirum tibi fuerit, declarabo: Ignis in nostro hoc mundo transfit in aërem tenuiorem, hic in crassiores, crassior aëris in aquam, aqua in terram; in qua cùm ignis hospitium inueniat, vt aëris in igne, non desinit esse ignis aut aëris, sed vtrumque permanet in sua es- sentia: Inde aëris & ignis pro tetra habentur, & terra quatenus elemen- tum, pro subiecto seu diuersorio vtriusque: Ab altera parte ignis eo- dem terræ per siccitatem assilit, habens aërem post se, nec vñquam quiescit, nisi inueniat terram aëriam, vt sunt fomites, ligna, & omnia tremabilia, seu inflammabilia: Terra autem omnis aëria aliquid pin- guedinis, oleosa substantiæ vel sulphurea continet, qua inflammatur & comburitur: ita nostra terra habet aërem & oleositatem, quæ ta- men non incenditur, nec igne absimitur; quia in igne condensata est, & didicit ignem pati, eaq; nihil aliud est, quam aëris & ignis.

S A B A .

ENIGMA

12.

*Dic obsecro: Ignis & terra, quid sunt ex illis duobus, & mox desinam pro hac vice?*

S A L O -

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM.<sup>15</sup>  
SALOMON.

Terra: Distinguendum autem inter terram, Elementum, & terram <sup>Terra du-</sup>  
elementatam: Terra elementata cum cœlo confertur. Terra elemen-<sup>plex.</sup>  
tum, simplex, per se consideratur: Terra & ignis, cohærentia & affi-  
nia sunt elementa, vt antè innuimus, nec vtraque cum cœlo quid  
commune habent: Vnde necessariò Terræ elementatæ conueniunt,  
quæ cùm sit calida, ignis non est expers; cum solida & fixa, propriè  
terra est.

S A B A.

Ego, ne nimis tædiosa videar, hîc nunc subsisto, alteriq; Principi lo-  
cum lubens concedo: Gratias autem immensas pro humanissima re-  
sponsione ac doctrina occultissimæ sapientiæ, qua me dignatus es, ti-  
bi, quas debo, ex imâ mente ago.

S A L O M O N itaque ad Hyramum conuersus, Magne, inquit, Prin-  
ceps, pro ea consuetudine, qua soliti sumus in his naturæ arcanis inui-  
cem procedere, in præsentia Reginæ prudentissimæ quæstiones quo-  
que tuas de iisdem subiectis proponas, ad quas, quoad potero, respon-  
sa à veritate non aliena redditurus sum: Hæc enim septimana huic  
nostræ S C H O L Æ dicata est, in qualibet de rebus naturalibus oc-  
cultis aut dubiis interrogare liceat.

H Y R A M V S.

*Ad hæc Hyramus:* Magna est tua sapientia, ô Rex, inquit, nec minor be-  
nignitas, aut comitas, quibus omnes antecellis mortales, iisq; fretus,  
vt haec tenus, nonnulla de hac ipsâ materiâ disquiram, eandem & ma-  
iorem in me licentiam tuæ sapientiæ relinquent. De Elementis vltimò  
quæsitum est, idecirco de iisdem continuabo:

*Aer & aqua quid sunt in opere naturali seu philoso-<sup>ENIGMA</sup>  
phico?*<sup>13.</sup>

S A L O M O N.

Cœlum. Ut enim ex aqua aëris & cœlum aëriū est in maiori mun-  
do: ita hîc humida elementa repræsentant cœlum, hoc est, spiritua-  
lem partem. Nam vt ignis adhæret terræ, dum fomentum in ea in-  
uenit propter aëris consanguinitatem, quâ retinetur, & alias propter  
ficcione.

siccitatem, terræ & igni communem; sicaeraquæ, & hæc illi vicissim coniungitur. Imò cœlum ex aqua & aere factum est, ut terra ex his contrariis elementis.

HYRAMVS.

*Aqua & terra quid?*

SALOMON.

ÆNIGMA

14.

**Elementū**  
quam sim-  
plex aut pu-  
rum.

Idem cœlum: Habet enim cœlum purissimam partem terræ elementi in se; cum unum elementum non sit adeo simplex, aut purum, ut non tantillum alterius proximi in se abscondat. Cum itaque aqua sit terræ proxima, aquæ crassior pars in terram transit & subsidet, ut terræ subtilior portio in aquam rarescit: quæ tamen rarefactio & incrassatio in his elementis in se inuicem longiori eget tempore, quam aquæ in aerem, & aeris in ignem, & vice versa descendendo.

HYRAMVS.

*Quomodo fit mutatio cœli in terram?*

SALOMON.

ÆNIGMA

15.

**Coagula-**  
**tio elemen-**  
**torum.**

Coagulando ignem in aerem, aerem in aquam, aquam in terram, quæ cum igne cohæret. Coagulatio autem fit condensatione substantiæ rarioris & magis extensa in densiorem & magis contractam, qualitatumq; permutatione. Humiditas enim aeris in frigiditatem aquæ, frigiditas aquæ in siccitatem terræ, siccitas terræ in caliditatem ignis cedit, at ita, ut dominium saltem præcedentium qualitatum abeat, nō quod extoto succendentibus aliis, extinguantur. Nam in composite semper manere de pristinis qualitatibus & substantiis non nihil, certissimum est; quod nisi contingeret, terra composita non posset solui in aqua alia, eamq; coagulare; quia deesset ingressus vnius naturæ in aliam, hoc est, colligentia.

HYRAMVS.

*Quis est color cœli?*

SALOMON.

ÆNIGMA

16.

Qualis est cœli maioris mundi; quia hic cœlum est fœmineæ naturæ & patientis, longè aliter, quam ibi. Color est multæ lucis & perspicuitatis, nempe albus, qui & fœminis peculiaris est. Colores autem diffe-

differunt secundum maiorem vel minorem abundantiam lucis. Hinc **Colores**  
extremi colores sunt, niger, qui minimum, & albus, qui plurimum, lu- quo diffe-  
cis obtinet: Reliqui sunt intermedii: Corpora autem rariora plus lu- tant.  
cis, & densiora minus habere animaduertuntur, de elementis loquen- **Extremi,**  
do. Hinc ignis flamma per se considerata, non est rubea, sed alba: cum **albus & ni-**  
verò carbo ignitus consideratur, rubeus videtur, quia color est mixtus  
in igne, & terra, idq; ideo, quia rarius elementum est signis, ideoq; plus  
lucens, quam reliqua. Ignis in raritate & albo colore succedit aer, huic  
aqua. Terra per se considerata, opaca est, & lucis expers, ideoq; nigra.  
At h̄c de arena maris alba, marmore, vel creta, quæ sunt albissima, &  
terrea corpora, quod obiicitur; ad id respondendum, quodd non sint  
simplex terræ elementum, sed corpora composita. Nos autem h̄c clo-  
qui de simplicissimo. In coloribus verò compositorum est magna di-  
uersitas, vnde non de raritate aut densitate corporum eorum, multò  
minus de qualitatibus primis iudicari possit. Videmus enim graminea  
viridia & folia herbarum & arborum, corpora facilis destruētionis,  
ita & lapidem smaragdum corpus compatiens: sic marmor, calx, nix,  
glacies, crystallus, adamas, saphirus sunt alba, vt & papyrus, lintealac,  
& similia: Item rosa est & alba, & rubea, vnius qualitatis, essentiae, no-  
minis & raritatis substantiae; Nihilominus constat colores, viridem,  
cæruleum & flavum amicari visui, utpote medios, & nigrum, seu ob-  
scurum, nimis contrahere; ac album dispergere visum, hoc est, spiritus  
visiuos, aciemq; oculorum lādere. Vnde qui diu in tenebroso carcere  
manserunt, si in apertam lucem subito producantur, facile amittunt  
visum, & qui per niues diu peregrinantur, sentiunt dolores oculorum.  
At colores per se considerati, non respectu humani visus, dicuntur ex  
nigro & albo diuersa proportione compositi. Exemplo sint nubes,  
quæ per se obscuræ, si videantur per album perspicuum, cæruleum re-  
präsentant: sic auroræ color: ubeus fit ex albo & nigro, sed alio situ,  
aut proportione, quem dicunt ex plurimo nigro & paucō albo con-  
stare. Et sic de similibus iudicandis.

## HYRAMVS.

*Qualis est color terræ?*

SALOMON:

Rubeus, quem ex igne & terra, quibus constat, elementis composi-  
C tum

ENIGMA

17.

tum nouimus. Ignis enim in terra dát colorem rubeum, vt patet in prunis ardentibus. Vt autem cæruleus sit ex nigro per aërium album perspicuum, sic rubeus sit per igneum album non valde perspicuum, & flauis contingit ex rubro per album perspicuum: arantiorum color ex flavo per rubeum perspicuum, singuli suâ & diuersâ proportione. Natura autem in productione colorum non opus habet compositione illâ, sed immediate ex thesauris suis singulos, tanquam simplices, generat in substantiis, gradatim tamen in quibusdam procedendo, vt appareat in vvis immaturis viridibus, postea calore Solis flauescens, item in pomis & aliis fructibus, qui crudi sunt virides, postea fiunt flavi vel rubei maturatione ex calore accedente: Vt autem Adamus factus est ex terra rubra, sic & nostra terra.

H.Y.R.A.M.V.S.

**ENIGMA.**

18.

*An Cælum mas est, an Terra?*

SALOMON.

Terra: Mirari quis posset, terram nostri operis esse masculam & cœlum femineum, cum contrarium videamus in magno mundo, ubi Cœlus dicitur cum Terra sua vxore concubuisse, & generasse Titanes & Saturnum, Iouis patrem: At in illis alius inest sensus, quam in hisce: Nostra enim terra & cœlum nongenerant propriè dictum Saturnum, sed eius nepotem clarissimum, quæ generatio dum fit, Saturnus & Iupiter abesse nequeunt. Causa hæc est; quia Terra, ceu maioris consistentiæ & centrum immobile, informat cœlum, sustentat, & confirmat, ne, vt aërium diffundat, & centrum suum relinquat. Terra enim & cœlum faciunt circulum (de quo alibi) in quo cum omnes semidiametrales lineæ æquæ à centro producantur in circumferentiam, apparet, hunc circulum à centro suo formari, & retinari, ne in aliam figuram, e.g. pentagonum vel hexagonum, transseat.

H.Y.R.A.M.V.S.

**ENIGMA.**

19.

*An itaque Terra imprægnat Cœlum?*

SALOMON.

Imo; & Cœlum fert Terræ similes filios. De Palicis fratribus narrant; quod ex Terra prodierint, à Thalia matre prius ibi reconditi: At nostra

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM. 19

nostra terra ex sese generat, si cum sua vxore cœlesti coniungatur, nec opus est, ut illi, tanquam continentis, fœtus alienus indatur: sit autem hæc imprægnatio post coitum, ut coitus post matrimonium: & fœtus nascetur magnæ indolis, melior, nobilior, & fortior suis parentibus, qui per se considerati, sunt vilioris conditionis & originis.

HYRAMVS.

Suntne Planetæ in hoc opere?

ENIGMA

20.

SALOMON.

Sunt sanè, at non omnes simul & semel, sed successiue: Primò Sol & Luna conueniunt in Sagittario: Deinde Lunæ à coitione redeunti Saturnus fit obuiam, pòst Iupiter in Piscibus: Hinc Mercurius in Gemini; Deinde iterum Sol maritus eius in Leone, in quo nascitur Solaris fœtus: Mars & Venus interim suo furtiuo indulgent amori, nec otium habent, ut puerperam Lunam salutent, præsertim cùm Veneris maritus, Vulcanus, obstetricis officium hīc peragat.

HYRAMVS.

Ergo Mars & Venus nunquam adsunt huic operi?

ENIGMA

21.

SALOMON.

Ad sunt, at solitarii: Nascitur enim ex utrisque Harmonia filia pulcherrima, quæ, dum nuptum elocatur Cadmo, aduenierunt omnes Dii, Dexq; cum suis donis. Quod autem Mars & Venus à Vulcano ligati dicantur, hoc illis in amotæ nil damni contulit, at plus firmitudinis: Sic enim conuenit, ut firmiter coniuncti maneat, ne unus alterum deferas.

Harmonia.

HYRAMVS.

Vbi, seu in quo loco coniunguntur Sol & Luna?

SALOMON.

In lecto Lunæ, qui habet imaginem Capitis Draconis: quia Draco eius naturæ maximè conuenit, licet propriè non spectet ad eam: Hic Draco fugit Solis radios, Hermete teste, hoc est, Luna post partum ex lecto illo transfertur, ne maritus eius Sol aut filiolus à Dracone irritetur, ut pote illorum naturæ contrario.

C 2

HYRA-

SEPTIMANA PHILosophica  
HYRAMVS.

ENIGMA

23.

*Annon hic Sol illuminat Lunam?*

SALOMON:

Sic sanè: Omne enim lumen à Sole est: Sol cæli lampas stellis o-  
mnibus lucem impertit, ita & Lunæ, cuius lumen videtur increscere  
cum ætate, donec ad iustum & plenarium incrementum peruererit.  
Eadem est ratio in nostro opere: hic Luna cornua sumit & ponit,  
nempe splendorem coniugis Solis magis magisq; recipiens.

HYRAMVS.

ENIGMA

24.

*Nunquam ne Eclipsi Solis aut Lunæ hīc contingit?*

SALOMON.

Imò, quod contra naturæ communis ordinem videatur, & Solis &  
Lunæ Eclipsi simul & semel contingit, idq; hoc modo: Lunain con-  
iunctione sua cum Sole illum à nostris oculis auerit & inumbrat: Lu-  
nam autem densa & nigra nubes itidem obuelat, ne & illa videatur:  
Atque hæc nubes à Saturni maleuolo aspectu dicitur attracta aut  
condensata, ne scilicet homines in terris cœlestium luminum vsu ali-  
quandiu fruetentur.

HYRAMVS.

Sapientissimè respondisti ad omnia, Rex optime, cui gratiam sin-  
gularem habens, hīc subsisto.

TVM SALOMON.

Dies hic ad vesperam properat, ideoq; cùm longas nostri colloquii  
moras non admittat, ego me breuitet questionibus cuilibet vestrūm  
iterum propónendis expediam. Ad te igitur, Regina Prudentissima,  
meam orationem conuerto, non dubitans, quin pro ea suauitate,  
quæ ex vultu oculisque tuis elucet, meas interrogatiunculas potissi-  
mum de maiori mundo instituendas admissura sis: *Hinc quero,*

ENIGMA  
25. *Quam longè Sol ille mundi oculus, seu potius cor, à nostris  
distet oculis, seu terræ superficie?*

SABA.

Ex obseruatione Astronomica conuincitur, quòd Sol à nobis di-  
stet in Äquatoris linea aut circa Äquinotia 64. semidiametris ter-  
reni

ARYH

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM.

21

reni globi: Vna autem semidiameter terræ est  $859\frac{7}{12}$ . mill. Germ. cùm diameter integræ sit  $1718\frac{7}{12}$ . mill. Germ. Et ambitus circularis 5400. mill. Germ. Distat itaque Sol eo in loco à terræ facie vel nostro visu 54996. mill. Germ. aut circiter.

S A L O M O N.

Vnde hæc omnia adèò certè colliguntur?

ÆNIGMA

26.

S A B A:

Ex certis axiomatibus & observationibus, ut patet ex sequentibus:

1. Demonstratur terram esse centrum cœli stelliferi, & in medio Axiomata. vniuersitatem.

2. Terram esse rotundam, & cum aqua unum globum constituere.

3. Si circulus magnus in cœlo, & illi è directo in terra imaginatio ne constituatur, & uterque in 360. partes, quas gradus vocant, diuidatur, tum queritur, quot millaria Germanica eiusmodi vni gradui vel parti in terra circulo vel ambitu corresponeant, quod si sciatur, tum scribi poterit, quot omnibus partibus seu toti circulo adnumerari debeant.


4. Hoc ut indagetur, punctum cœli immobile seu polum considerarunt, & inuenierunt, quot cœli partibus seu gradibus ille esset in unoquoque loco supra horizontem cuiusque loci eleuatus: Quo autem magis à Septentrione vel polo discederent versus Meridiem, viderunt, quod semper magis magisq; polus deprimeretur, propter rotunditatem nimirum terræ, ita ut quindenis milliaribus Germ. semper exactè unus gradus in cœlo corresponeat: Hinc cùm totidem sint gradus in circulo terræ, quot in cœli, in hoc vni gradui 15. mill. Germ. æquivalent; quia de terra interuallo agitur: Ideo 360. gradus terreni circuli magni faciunt 5400. mill. Germ. qui est ambitus circularis terræ & aquæ.

5. Cùm verò ex observatione Geometrica constet, quod circumferentia se habeat ad suam diametrum, ut se habent 22. ad 7. in Arithmeticis: hinc Arithmeticæ per regulam proportionum querit diametrum terræ, eamq; ex circumferentia 5400. mill. Germ. præcognitâ inuenit  $1718\frac{7}{12}$ . mill. Germ. & semidiametrum  $859\frac{7}{12}$ . mill. Germ. Ex quibus semidiametri milliaribus sexages quater sumptis, fit distantia Solis, nempe 54996.

suppon

C 3

SALO-



## SALOMON.


**ENIGMA**      *At, unde scitur, Solem abesse à terra tot semidiametri terra?*

27.

## SABA.

Ex doctrina Geometrica Triangulorum, seu calculo Arithmeticō.  
Nam scito latere vno cuiusque trianguli, hoc est, longitudine linearī  
vnius lateris, nec non angulo illi lateri proximo, ex obseruatione, sciri  
quoque

quoque possunt reliqua duo latera eiusdem trianguli cum suis angulis. Quod si vetum est (ut est axioma Geometricum) distantia quorumlibet corporum à nostro visu, sive in caelo, seu terra sitorum, eorumq; magnitudinem indagare licet: E. g. Solis distantiam inuenient extriangulo, qui sit ita, ut semidiameter terræ sit unum latus, linea autem vtrinque ad Solis medium punctum directæ, reliqua duo latera, hoc modo: Cognito autem latere c. quod est semidiameter.



terreni globi, & angulo f. sciuntur & alia duo latera a. b. eiusdem trianguli, præsertim b. & inuenitur, quod litera a. vel b. in se habeant sexages quater lineam c. seu semidiametrum terræ, quod demonstrandū erat.


### SALOMON.

*Quæ verò est Solis magnitudo respectu terræ, & quo modo indagatur?* ENIGMA 28.

SABA.

Terræ corpus est centies sexages sexies minus corpore solari, hoc est, si centum & sexaginta eiusmodi terreni globi essent compacti, ad æquarent dimensionibus suis saltem unum corpus Solis, quod non intelligendum de tali proportione diæmetri, aut circumferentia terrestris.

restris ad Solarem, at de corporibus solidis vnitis: idq; inuestigatur cādem triangulorum doctrina: Fiat enim diameter Solaris corporis visiua, à qua vtrinque ducantur duæ lineaæ ad oculum nostrum concurrentes, & erit triangulus, cuius vnum latus sit cognitū, hoc modo:



enem per longitudine lineaæ b. vel c. est cognita & angulus f. ex iam dicta doctrina: Ergo & linea a, cognoscitur, quæ est diameter Solis: Atque sic omnium stellarum, aliorumq; corporum longissimè à nobis distantium magnitudines & distantiae indagantur,

S A L O M O N.

**ENIGMA**  
29. *Qui fit, quòd Sol bipedalis appareat, & Terra adeo magna, ut vix aliquor annis circumiri posset, tantilla sit respectu Solis?*

S A B A.

Distantia Solis in causa est: Scimus enim, corpora etiam magna longius remota, minora epparere exiguis corpusculis, at propinquis: causa est, quòd pyramidali, non cylindricâ figurâ imagines rerum vi-  
sarum tendant ad oculos humanos,

S A L O M O N.

*Quæ respondisti, Regina, sine omni dubio verissima sunt, cùm sint axio-*

axiomata ab omnibus recepta: *Verum quam causam existit ENIGMA mas, cur Sol remotior dicatur à terra æstate, quam hyeme?* 30.

## S A B A.

Astronomi statuunt, multis millenis milliaribus Solem ascendere magis in altum, seu à terræ superficie magis recedere æstate, quam hyeme, hoc est, à Solsticio Capricorni ad solstitium Cancri, ac deinde à solsticio Cancri ad Capricorni rursum descendere. Huius rei aliquot assignant rationes:

Prima est physica: quia Sol in maiore remotione magis calefaciat propter angulos radiorum eius reflexos magis duplicatos, ut in æstate, minus ut in hyeme.

Secunda est ex observatione, quia Sol remotior æstate, quam hyeme in instrumento observatorio appareat.

Tertia ex inæqualitate temporis semestris æstiui & hyberni, cum æstiuum sit ferè 7. diebus longius hyberno, ab æquinoctio uno ad aliud computando; quia Ver constet 93. Æstas 93. diebus, hoc est, 186. Autumnus autem 90. Hyems 89. quæ faciunt saltem 179. dies.

Quarta ex motu diurni tarditate; quia Sol minus spatii motu proprio in 24. horis conficiat æstate, quam hyeme: Atque hæc esse vera, nulli præsumitur dubium.

Sed ego contra receptas illas Hypotheses Eccentricorum & Con-  
centricorum Solis & superiorum Planetarum, statuo, Terram immo-  
bile centrum stellarum fixarum, Primi mobilis & totius mundi; Solis  
seu solaris orbis centrum in terra conuenienti distantia remotum; So-  
lem ipsum seu solatis corporis centrum superiorum Planetarum or-  
bium vel epicyclorum idem esse, ita ut hi quatuor terram intra suos  
ambitus includant, Venerem & Mercurium centrum quoque habere  
Solem, cuius antea ambulones & pedissequi sunt, sed ita ut suis gyris  
terram non ambient: Lunam vero terram suo circuitu respicere. Quæ  
si vera sunt, veluti indubitate habentur, & præcedenti figura delineata  
fuerunt, hinc patet causa omnium antedictorum, remotionis & ap-  
propinquationis Solis ad nostrum verticem & horizontem, item dif-  
ferentia temporum semestriuum & diurnorum cursuum. Verum cur  
Sol maior appareat, & ideo propinquior æstimetur hyeme, quam  
æstate, præter communem rationem ante allatam, causa quoq; optica Causa  
id de-optica.

id demonstrat: quia hyeme aër sublunaris est crassior propter condensationem, quæ fit à frigore: Per crassius autem diaphanum corpora maiora apparent, si modo tenuius illi sit continuum vel contiguum aliud diaphanum: Quod si supralunaris aër siue æther esset semper unus idemq; in crassitie & tenuitate, tamen sublunaris observationes valde variaret pro crassitie & tenuitate sua maiore vel minore: Idem demonstrant illa optica instrumenta cum dupli vitro, primo crasso excavato, altero tenuiori, quæ obiecta visiua in immensum ingrossant aut diminuunt pro diuerso respectu: Quam meam sententiam video quoque aliis placuisse, vt pote Hieronymo Montuo, qui ex Alexandro Benedicto: *Stelle minutæ, inquit, melius apparent hyeme, id est, crassiore aëre, quam estate, id est, rariore: Inde specilla, quò crassiora sunt, ed maiora visibilium obiecta representant.* Hæc ille.

## S A L O M O N.

Bene differisti, Regina; At ego, ut breuitati temporis & tuæ quieti consulam, hîc cesso, contentus illis, quæ ex vberimo tuæ doctrinæ penu, tanquam Amaltheæ cornu, deprompsisti. Ad te itaque, Princeps laudatissime, ex lege Talionis accedo, quærens, *Quantus sit ambitus circuli Solis seu eclipticæ, iuxta priorem doctrinam?*

## H Y R A M V S.

Sapientissime Rex, nos in hac tenebrarum valle constituti, tanquam pueritubantes & balbutientes de his arcanis & adeo remotis iudicamus: Quantum verò ratione indagare & duabus istis alis, Geometria & Arithmeticæ, periuolando inquirere possumus, rudi Minerua, non exquisitè (ut multi somniant se rem acu attingere, nec aberrare transuersum digitum, cum forte mille aut decies mille milliaribus à veritate absint) respondeo, si circuli Solaris seu eclipticæ semidiameter (quæ est distantia Solis à nostro visu, antè exposita) sit 54996. mill. Germ. tum diameter eiusdem circulii erit 109992. Et circumferentia 345689 $\frac{1}{7}$ . mill. Germ. quod spatium Sol 24. horis conficit motu primo cum continente cœlo circumductus: Superioris Planetas ve-  
rò & stellas fixas constat duplo vel triplo maius confidere.

SALO-

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM. 27  
SALOMON.

O admiranda DEI summi potentia omnem humanæ cogitationis captum longissimè superans, quod cursores illi cœlestes in una die & nocte per tot centena millia millaria German. circumduci possint, cum in hac terra, velut in imo ærumnarum ergastulo, tanto temporis spatio homini non possibile sit centum percurrere, & violentissimâ vi ex machina bellica emissum globum vix 1000. eodem tempore (primâ retentâ celeritate) peruolare.

*At quot milliaria Germ. Sol una hora motu cœli pri- ENIGMA  
mo, & quot secundario seu proprio emetitur?* 32.

HYRAMVS.

Iuxta peripheriam eius circuli seu eclipticæ antè dictam Sol motu primo  $14403\frac{1}{4}$ . mill. Germ. proprio autem 39. & circiter tertiam mil- liaris partem, vna horâ permeat.

SALOMON.

*Verum Sol philosophicus habetne & ille motum ali- ENIGMA  
quem primum ac secundarium?* 33.

HYRAMVS.

Imò; Motus primus est, quando supremas siue primas sphæras suas per omnes gradus percurrit, donec ad infimas perueniat; Deinde ab infimis ad medias, in quarum una, nempe Tauri, Domina quiescit, aut certè huius ex fratre nepote: cuius circulis spatium sat amplum perambulat vno die, at quod à me determinari nequit. Motus eius secundus est, quando huic motui contrarius incedit, hoc est, quod spatium primo perficitur motu, secundo retrò eundo relegitur: Vt enim Sol magni mundi suo proprio motu primum temperat leniter eiaduertando per obliquum: sic & philosophicus secundarius primo resistit, eum reducendo ad temperiem æquatissimam, qua circumductione paucis diebus absoluuntur totum signum, & sic unum post aliud, donec in Leone Apogæum suum obtineat, hoc est, colorem perfectissimum.

## SALOMON.

**ENIGMA**

34.

Rectè equidem censes: *At terræ quantitas respectu cœli cuiusmodi est?*

## HYRAMVS.

In mundo maiore est adeo exigua, vt non comparanda sit cum cœlesti superioris regionis, immo tantilla, vt si terra esset à nobis in eadem remotione cum stellis fixis eiusdem illuminationis, non posset videri à nobis præparuitate. Ideo semidiameter terræ in nulla differentia est, respectu horizontis meridiani, aut æquatoris; quia omnis circulus magnus præsumitur nihil de sua sectione intermediâ supra & infra terram amittere, vt patet in quadrante obseruatorio instrumento, aliisque; quamvis præcisè loquendo, terræ semidiameter amittatur, vel adiiciatur, hoc est, spatium 859. mill. Germ. quo inter uallo, Sol, Luna, & stellæ, quoque sunt à nobis remotiores, circa ortum & occasum, quam circa meridianum aut Zenit: Vnde patet, quantum cœcutiamus & oculis & intellectu in cœlestibus illis inquirendis. At terra Philosophica sui cœli est ferè radix numeri perfecti, respectu cubi sui duplicati: sunt autem hi numeri 6. 36. 216. 7776. Ex quibus primi & ultimi inter se concordant.

## SALOMON.

**ENIGMA**

35.

*Quid de Sole cœlesti iudicas, an verè dictus sit ab Anaxagora L A P I S R U B E V S, ignitus, an vero ita nos minant philosophicum Solem?*

## HYRAMVS.

Quod Plinius lib. 2.  
c. 60. dicit,  
factum esse  
ad Egos au-  
men Thra-  
cia, Anno  
2. Olymp.  
78.

Anaxagoras prædixit, ad certum diem lapsurum ex cœlo seu Sole lapidem magni ponderis; quod & ceuenit. Hinc fortè in cœlo lapides esse existimauit, quemadmodum revera lapides ex nubibus decidunt fulminei. Apud Athenienses verò Sol Deus mundi maximus cultus fuit. His contradixithic Philosophus, & creaturam, non Deum esse, demonstrauit, vocans Solem lapidem, qui revera non est lapis, sed sub-

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM. 29

Substantia nobilissima, ab aërio cælo longè diuersa, in quam Deus lucem, calorem, & virtutem infudit. Verum credibile est, ipsum Anaxagoram ea verba allegoricè protulisse, nempe de Sole philosophico, qui est lapis rubeus ardens, post sui perfectionem. Quod rubeus sit, patet ex visu, quod ardens, ex effectu: Ignea enim sua qualitate maturat omnia immatura & cruda metalla, quæcunque Mercurii quid in se continent.

SALOMON.

*Quid de Luna cœlesti existimas, an verè idem Philo; AENIGMA  
sophus de ea dixerit, quod Leo Citharonæus ab Hercule  
post trucidatus, inde deciderit, an verò Leonem & Lu-  
nam Philosophorum intellexerit?* 36.

HYRAMVS.

Sunt, qui magnas ciuitates, multasque, in Luna cœlesti sitas esse, imaginentur, eamq; velut alterum terrenum orbem illuminatum videri, ac Selenitidas mulieres parere oua, ex quibus homines nascantur quindecies maiores nostratibus. Herodotus ait Selenitidas mulieres parere oua, indequé nascentes quinquennies decies esse nobis ampliores. At hæ sunt insulsæ fabulæ, nihil veritatis continentes. Anaxagoræ locutio philosophica est: Nam ille Leo, qui ab Hercule, hoc est, laborioso artifice, occisus est, ex Luna ortus inuenitur, ut alibi demonstratum fuit.

SALOMON.

*Quæ causa macularum Lunæ utriusque, & cœlestis & AENIGMA  
terrena, existimatur?* 37.

HYRAMVS.

Lunæ maculas esse heterogeneas, & aliquid diversitatis ab eius re- liqua substantia habere, si in ea revera existant, indubitatum est. At hæc materiae inhabilitatem, quæ ad homogeneityatem reduci ab effi- ciente non possit, aut efficientis voluntatem contrariantem, quia no-

D 3 luerit,

luerit, arguunt: quorum vtrumque de Deo affirmare, non minima es-  
set impietas & falsitas. Maculae igitur non revera in Luna existunt, sed  
salem sunt accidentariae, hoc est, reperclusio imaginis partium terre-  
ni globi, ita ut in Europa Europæ idæa, in Asia Asiae, in Africa Africæ,  
& in America Americæ videatur. Quæ an ita se habeant, ab experien-  
tia descendum. Nam in Indiis tum longè alia facies seu macula Lunæ  
appareret, nempe potissimum Asiae, quam hîc apud nos: Et sicut in aliis  
locis variaretur pro distantia differente. Hinc quasi probabilis cen-  
seri posset eius Atheniensis opinio, qui dixit, Lunam Athenis melio-  
rem & nitidiorem esse, quam Corinthi lucebat: Esse verò & macu-  
las in Luna Philosophica, manifestum est, quæ à partium  
dissimilitudine proueniunt, & immaturi-  
tati eius ascribuntur.

*Vide appositorum Schema.*

SALO.

PRIMA DIES; DE COELO ET ELEM.

31



SALO:

**ENIGMA**

38.

Ergo Luna se habet instar speculi. *At cur non alia corpora particularia videntur in ea?*

## HYRAMVS.

Pythagoras dicitur ad plenam Lunam imagines, quas voluisset, alicui monstrasse: Verum Luna in tanta altitudine & remotione si forte minuta corpora exprimeret, à nobis tamen viderine queunt: Offeret sanè maculam illam, quæ virginis aut viri togati habitum exprimit, esse magnitudine Europæ, considerata proportione utriusque terreni scilicet globi & Lunæ, æqualem: Vnde minora corpora in Europa existentia, nec propter vimbram continentis, nec propter exiguitatem contenti discerni possunt: At hæc esse supposita potius, quam ad docendum proposita, verissimè protestamur.

## SALOMON.

**ENIGMA**

39.

*Quæ causa est illuminationum Lunarium & Eclipsium utriusque luminis, & an hæc in Philosophia locum habent?*

## HYRAMVS.

Illuminationes à Sole fieri omnium stellarum, vt & Lunæ, constat, nec circumgyrationem menstruam Lunaris corporis per unum dimidium ex se lucidi, per alterum opaci, vt quidam imaginati sunt; Id enim vel solæ Eclipses Lunares refutant, quæ fiunt, dum Luna in vimbram terreni globi incurrit circa Eclipticæ lineam Soli ex aduerso opposita: Opacum Lunæ corpus esse ab una parte, ab altera lumen Solis in se recipiens, instar speculi, demonstrant cornua acuta Lunæ crescentis & decrescentis obtusa. Sic & Luna Philosophica opacum corpus habet, & crescit, at contrario motu: Quod enim proprius ad Solem accedit, eò magis lucet, contrà quam cœlestis agit, ita vt in coniunctione cum Sole plena fiat, & omni ex parte illuminata, nec Solem impediat à nostro conspectu, sed clarius etiam apparere causetur. Eclipse vero utriusque luminis simul & semel contingit, quando Luna est in oppositione, & maxima remotione à Sole; vt ipse meministi superius.

SALO-

PRIMA DIES: DE COELO ET ELEM. 33  
SALOMON.

Verum ut ego iam defessus, sic vos tædio quodam vltioris dissertationis affici non dubito; Quapropter hoc die h̄c subsistendum iudico, quod in crastinum eò alacriores de sequentibus nostra colloquia continuemus. Mihi ex vestrâ amicâ conuersatione, verè philosophicâ, tantum voluptatis accessit, vt nunquam plus contigerit. Hæc enim colloquia mentem ad Deum erigunt, vt cius opera tam vulgo incongnita, quam cognita, tam oculis inuisibilia, quam visibilia contemplatur & agnoscat, quam sint admiranda, & mysteriis plena, nullo unquam tempore exhaustienda, quam diuina, & tanto Creatore digna, quam humanis visibus & sanitati utilia & proficia. Sit autem gloria & laus illi, qui solus hæc omnia ex nihilo fecit, facta conseruat, & prouidentiâ suâ gubernat, donec eadem iterum in unum globum reducturus sit, prius omnibus ad sedes supercœlestes eleuatis, impiis ad Tartarae detrusis. Vobis insuper gratia à me habenda, quod hunc diem mecum honestissimis hisce quærendi & respondendi laboribus consecrare volueritis. Quibus dictis, surrexerunt, & primò cœnæ, post quieti nocturnæ se compofuerunt.

E SEPTI.

# SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ

Secunda Dies:

*DE METEORIS SEV  
imperfecte Mixtis.*



## SALOMON.

Meteororū  
seu imper-  
fecte mix-  
torum cau-  
ſe gene-  
rales.

**S**

ECVNDA hæc dies Meteora seu imperfecte mixta,  
quæ in sublunari aëris regione vt plurimum apparent,  
ad declarandum proposita sibi vendicat, quorum cau-  
ſe generales sunt calor & frigus, seu attenuatio cum  
ascen-

• SECVNDA DIES: DE METEORIS.

37

ascensione, & condensatio cum descensione. Sol enim, vt dictum, suis radiis attrahit aquas, easq; attenuat, & resoluit in vapores, qui si sint puri & purgati, fiunt aëris; si non purgati, dant nubes, quæ inferiori loco feruntur aëris. Ex nubibus coagulatis vel aëris vaporibus ascendentibus, si continens sit plenum, fit pluia, quæ stillatum decidit, non alter, quām in Alembico contingit. Dicitur autem continens plenum, Continens non respectu totius, tum enim pluia vniuersalis fieret per totam terram; sed partis, aut unius tractus, vbi euaporatio copiosior antè contingit, quæ in nubes coactæ est, atque hinc in pluiam: Pluia decidit in montes & valles, & auger fluuios. Ex aëre vero inferiori condensato, & superiori rarefacto, fit ros æstate.

Ros.

Ex eodem condensato frigore fit pruina.

Pruina.

Ex pluia congelata inter cadendum fit nix.

Nix.

Ex imbre congelato fit grando.

Grando.

Fontium autem origo est partim ex rore montium sublimium, partim ex pluia: Hinc fontes semper sunt loco inferiori, quām est apex montis.

Fontes.

Ex vaporibus ascendentibus viscosis fiunt Comætae.

Comætae.

Cùm vero alicubi rarefactus est aëris, Sol attrahit vehementius vapores, & sic nonnunquam quid crassioris materiae cum illis eleuat ( vt quoque fieri potest per ignem vehementem arenæ vel cinerum in distillatione aquarum, vt aliquid terrestrieris materiae vna cum vaporibus aqueis attrahatur ) quæ materia crassior in nubibus consistit; quia nubes, vt relatum, non sunt adhuc purgatus aëris; Et si fiat maior in copiâ, natura, quæ ibi æquè regnat, vt alibi, nititur purgare nubes motu quadam, quisic contingit: Ignis, seu calor, quiet in aëre, per omnes nubes transcurrit, & separat heterogenea, hoc est, terrestrem materiam in unum locum, compingitq; eam fortiter; Deinde impete facto, ex aëre illo calido fit ignis, qui vehementiori motione & fulguratione proiicit terrestrem materiam deorsum ad terram: Atque illa est lapis fulmineus, vis autem percutiens illius ignis est fulmen, quod penetrat omnia, & occidit animalia. Lumen ignis emissi Lapis fulmineus.

Fulmen.

Nubes, quæ coactæ est, si coagulatur amplius, hoc est, si plus eiusmodi vaporum aliunde cogatur, eiq; aggregetur, decidit vt pluia, vel imber.

Nubes.

**Tonitru.**

Tonitru autem contingit, quia ignis ita percutit aërem, atque sic duo corpora colliduntur horribili fragore: Quemadmodum enim, dum puluis pyrius incensus in tormento bellico, fit substantia ignea, quæ millesies amplius spacium, quo continetur, requirit, & hinc incredibili vehementiâ & celeritate ex angusto tormenti loco erumpens, in aërem exteriorem incidit, ex mutua illa collisione diutorum corporum, videlicet aëris & ignis, fit ille bombus, sic quoque rationabile est, ex similibus causis accidere Tonitrua sive sonitus illos horrendos in nubibus. Quod alii statuant de fractione nubium, unde Tonitru sicut puerile est commentum. Aëris enim corpus per se rarum, non ita compingi potest, ut ferri vel marmoris compactionem seu soliditatem habeat ita, ut ignis nubes penetrare nequeat, nisi per ruptionem.

**Fractio nubium.**

Fractio autem nubium dicitur, quando inusitatâ copiâ umbres descendunt, quæ sit, quando nubes coguntur in unum, & continens est plenum.

**Ventus.**

Ita Ventus sit, quando continens est plenum ab una parte, sed non ab alia: tum enim sit aëris motus ad latera, nempe à parte pleniori ad minus plenam.

**Iris.**

Cum nubes resoluitur in pluuias, & Sol ab aliâ parte mituit radios, per pluuias illas respectu nostri visus, tum sit iris.

Ex quibus paucis obiter declaratis, de multis aliis hinc dependentibus, seu in causis, cum hisce conuenientibus iudicari poterit: Nunc verò ad continuandas nostras Quesiones Philosophicas, circa eandem materiam, accedemus. Tuæ itaque discretionis erit, Regina, enigmata potiora huius intentionis eligere, & in medium nobis, ut antehac proponere.

## REGINA SABA.

Officiis tuis, Rex Clementissime, iam ante nobis exhibitis audaci-  
la facta liberè proponam, quæ mihi sunt in animo:

**ENIGMA**

40. Condensatio & rarefactio substantiae, an est in opere philosophico necessaria?

## SALOMON.

Est, & quidem ex præcipuis operationibus: Per has enim Elementa  
alte-

## SECUNDA DIES: DE METEORIS.

37

alterantur, inq; se inuicem transmutantur, veluti per axem rotavoluntur, ut iam alias atque alias partes superius ostendat: Sic per condensationem exigne fit aëris; ex aëre, aqua; ex aqua, terra, quæ potest dici Rota Elementaris condensationis; & vice versa Rota rarefactionis, si ex terrâ, aqua; ex aquâ aëris; ex aëre, ignis fiat. Hinc Rosarii author: Lyanda, inquit, habueris aquam, id est, Mercurium, ex aëre, id est, sole, & aërem ex igne, scilicet spiritum Mercurij, & egnem, scilicet Mercurium, ex terra, scilicet Luna, tunc plenè habebis artem: Vnde Philosophus: Lapis noster transit in terram, terra in aquam, aqua in aërem, aëris in ignem, ibi est status, sed descendetur è conuerso. Et Assiduus in Clangore: Ignis coagulatur, & fit aëris: aëris vero coagulatur, & fit aqua: aqua coagulatur, & fit terra: Ecce in unam naturam inimici conuenerunt, qui, cùm coagulantur, sunt amica, cùmq; rarefiant, sunt inimica, scilicet in separatione Elementorum: Vnde dicit Plato: Scitote omnis turba, quod omnis spiritus in terra quiescit: spiritum namq; ignis in aërem cadit, & spiritus magnis & aëris in aquam, & densum, quod ex ignis, aëris & aquae spiritu eradunatur, adit in terram: Et Gratianus, quomodo corpus sit spiritus, dicit: Terra resolutur in aquam, aqua in aërem, & aëris in ignem, & haec est via qua corpus sit spiritus: Per necessaria itaque sunt haec duæ Rotæ elementares, nempe condensationis & rarefactionis, cùm quasi absoluunt totum opus.

### S A B A.

*Vera ex his duabus magis est necessaria, aut prior in ENIGMA  
opere?*

41.

### S A L O M O N.

Æquæ sunt utræque necessariae, & una absque alterâ consistere nequit: Dum enim incipit una pars rarefieri, altera condensatur, & contraria, ita ut, quod vni accrescat in rarefactione, alteri decrescat in condensatione, & vice versa: Nam ut Draco singulis diebus aliquid deforans, quotidie fit maior & copulentior; serpens autem minor & exilior: sic quantum in transmutatione Elementari attenuatur, tantum condensatio decedit, quod quidem per se verum est; at nihilominus condensatio & rarefactio paribus passibus ambulant, cùm duo sint, tenue & densum, illudq; condenseretur, hoc attenuetur mutuâ in se inuicem operatione: quia densum a tenui soluitur, & tenui à denso coagulatur, & sic quasi manus manum lauat.

E 3

SABA.

**ENIGMA**

42.

*Quæ est causa efficiens seu mouens condensationem & rarefactionem?*

S A L O M O N.

Coagu-  
latio.

Calor externus, qui penetrat ad materiæ interiora: Alias calor attenuat, frigus incrassat, ut in mineris terræ apparet, quæ calore in vapores ascendentes rarefactæ postea à superueniente frigore in massam solidam condensatæ fuerunt. Idem in aqua & glacie manifestius videtur; Calor aquam in vapores & aërem attenuat, frigus Brumale in glaciem, corpus durum, coagulat: Est quoque coagulatio, quando tenuiores particulae calore exhalant, & reliquæ crassiores congregantur in substantiam densiorum; sic ex muriâ seu aquâ falsâ marinâ fit sal, ex vino sapo: Sed hæc coagulatio fit quidem à calore hoc modo, attamen non absque rarefactione: Dum enim ignis in aërem, aëris in aquam, aqua in terram coagulatur: eodem temporis momento, terra in aquam, aqua in aërem, aëris in ignem rarescit, reciproco motu harum operationum.

S A B A.

**ENIGMA**

43.

*Estne nubes in hoc cælo?*

S A L O M O N.

Est nubes, at differt à Sole & cælo: Sol est perfectior cæli pars seu contentum, & nubes ipso cælo longè imperfectior: Vnde à cælo separatur, vel ab aëre puriori, ut heterogeneis obnoxia, coagulatione dimittitur per pluuiam: Ut enim ex terra vel mari ascendit, sicut erit in terram descendit; Interim aërem, ne ille vacuum vel nimiam siccitudinem patiatur, sua substantia & humiditate restaurans.

S A B A.

**ENIGMA**

44.

*Vbi sita est hæc nubes?*

S A L O M O N.

Cælo contigua est, & inter cælum & nostrum aspectum interponitur. Hinc contingit, ut & Solem cælo contentum obuelet, ne & visideri possit. At nihil incommodi Soli aut cælo hinc accidit, cum eo-

rum

## SECUNDA DIES: DE METEORIS.

39

rum essentiam non laedat, sed potius foueat, & conseruet. Magna quoque est nubium utilitas, quoad terram; haec enim ab illis resolutis in pluuiam irrigatur, & fertilis redditur.

S A B A.

*Qualis est motus naturalis nubium, an sursum, an deorsum?*

ENIGMA

45.

S A L O M O N.

Nubes est intermixta naturæ; Nec enim sursum per se mouetur amplius, propter participationem grauitatis, nisi rarefacat; nec deorsum, propter levitatem, nisi magis condensetur: Ideoq; suspensa manet, ut vaporosa substantia, in aëre crassiori, nec ad subtiliorem aseenit. Sic in opere philosophico nubes nec cœlo, nec terræ par sit; sed manet ab utroque diuersa: ad cœli enim naturam aëriam subtiliorem sua crassitatem non peruenit; nec ad terræ ponderositatem sua levitatem.

S A B A.

*Quis est color huius nubis?*

ENIGMA

46.

S A L O M O N.

Primo subalbus; at cum Sol operari incipit, niger, seu ut loquuntur, nigro nigror. Calor enim heterogeneas partes segregare conatur, & homogeneas colligere. Inde nigredo, quæ prius latebat, in superficiem attrahitur, ut dispergatur. Et hic est motus alterationis physicæ, sine quo vix quicquam generatur, & ad perfectionem ducitur. Quod verò nubium color est nigror, eò etiam maior vaporum collectio iudicatur, & plus heterogeneity adesse; atque haec nubes aquis abundant; Quæ subalba, steriles sunt, nec quid aquarum terræ promittunt: Hinc Rosarius: *O natura benedicta, & benedicta est tua operatio; quia de imperfecto facis perfectum, cum vera putrefactione, quæ est nigra & obscura:* Et mox: *Nam, ut dicit Avicenna in titulo de humoribus, Calor agens in humido corpore, primò generat nigredinem, ut est videre in calce, quæ apud vulgum fit:* Et Hermes: *Hoc peracto, viuit in putrefactione, & fuscæ nubes, quæ super ipsum fuerant, & in suo corpore, ante quam moreretur, reuertuntur.* Arzoch quoque in Turba: *Videtis, inquit, quod ventus Meridiei plurimus cum exaltatur, nubes sublimari facit, marisq; vapores eleuat:* Hoc est vas & testa, in qua est sulphur incombustibile. Nubes ergo sunt in opere, eaq; nigrae, seu aquis plenæ.

S A B A.

ENIGMA

47.

*Resoluiturne illa nubes in aquam?*

SALOMON.

Resoluitur partim, partim discurritur in aërem, præsertim subtilioribus partibus. Nubes resoluta fit pluia, quæ ad centrum suum, unde digressa erat in forma vaporum, iterum dilabitur, nempe gravitatis, terram, inq; eius poros seu cavitates, tanquam gremium se insinuat, & abscondit, donec iterum calore Solis in vapores sublimetur, & in nubes cogatur: Ex quibus constat, hanc nubem quasi Mercurium esse, seu intermedium currentem, nunc ad terram in forma pluiae, nunc versus cœlum seu aëris regionem superiorem, instar vaporosæ exhalationis. Et revera nihil aliud est nubes in opere philosophico, quam Hermes, seu interpres, qui Solis verba, & mentem Lunæ, & vice versa interpretetur, siue Mercurius, qui ipsis à pedibus sit, & inter cœlum & terram varias legationes perficiat.

SABA.

ENIGMA

48.

*Eſtne quædam ibi utilitas pluiae?*

SALOMON.

Permagna: Tetra enim philosophica hiat & exucca est absque irrigatione, quæ fit à pluia, præsertim Sole per calidiora signa Zodiaci transiente. De Oryge animali perpetuò sitiente in Africa traditur, quod sub Solis intensissimo astu, quasi lachrymis effusis, oculis in Solē directis eum deprecetur; ita & lapis intolerabilem sibi calorem sentiret, nisi pluia humectaretur. Sicenim Eximenus in Turba: Ipsa aqua, inquit, cum rebus suis in vase suo positâ, prohibet, ne res comburantur, & quanto magis ipse res flammâ occupantur, tanto magis in aquâ intimis absconduntur, ne ignis calore ledantur: Aqua autem eas in suo vase recipit, & ignis flamman ab eis repellit. Idem Obsemeganus ibidem dicit: Sed aqua apposita, quanto plus flamma eos inuidit, tanto plus in visceribus aqua penetrat, & prohibet, ne flamma comburatur. Socrates vero, & alii quamplurimi, iubet ut lapidem teramus rore & sale, & aquâ maris, & pluiae.

SABA.

ENIGMA

49.

*Ergo et ros est in opere?*

SALO-

## SECUNDA DIES: DE METEORIS.

41

SALOMON.

**E**s sanè; Dumenim ascendunt vapores diurno tempore, nocturno frigidiusculo reperciuntur ad terram, ibiç, in graminibus, herbis, arborum foliis, aliisq; rebus in stillas rotundas coagulantur, quæ toris nomine appellantur. Hic quām utiles sit rebus nacentibus Solis calore quasi exiccatis & marcidis, experientia quotidiana attestatur: Rosenim est quasi ientaculum vegetabilium, restaurans illis vires & succum; vnde, etiam si pluuvia defecerit, vegetare, sc̄q; sustentare possent ad tempus.

SABA.

*An etiam aqua maris?*

ENIGMA

SALOMON.

50.

**E**tiam: Sic enim Pythagoras in Turba inquit: Nihil aliud est huius artis scientia, quām vapor & aqua sublimatio, argentivii, magnesia &c corpori coniunctio: Et Zeemon: Quapropter oportet vos dicta maiorum sequi, qui dixerunt: Nihil aliud expedit vobis, quam aquam & vaporem sublimare: Ariphenes ait, quod maris nostri aquæ imponi debeat: Pythagoras quoque, quod maris aqua temperetur; quod præter Socratem antè dicetum, Plato, & quamplurimi alii asserunt: Mare enim nihil est, nisi aquarum collectio; aquæ autem colliguntur per fluviis & pluviis; pluviæ ex nubibus resolutis, tubæ ex vaporibus ascendentibus fiunt; Per aquam marinam autem dulcem sèpius intelligunt: Hinc Afflites: Propterea dixerunt Philosophi: Abluite magnesiam aqua dulci.

SABA.

*Vapor itaque ab opere abesse nequit?*

ENIGMA

SALOMON.

51.

**M**inimè: Id enim patet ex antè relatis testimoniis: Quibus & Zeemon addit: Et sicuti in homine est humiditas & siccitas, sic in opere nostro nihil aliud est, quām vapor & aqua. Qui a verò idem dicit, quod vapor contineat suum compar, id est, aqua aquam; vapor potentia aqua est, vel aqua vapor: Vnum enim ex alio generatur rarefactione & condensatione, adeo ut de eo æquè dubitari posset, vtrum eorum tempore esset prius, quām antiqui de gallina & ovo dubitarunt, quodnam ex iis primò in rerum natura, & alterius causa extiterit? Philosophi adfir-

F

mant,

mant, metalla quoque, densissima corpora, esse ex vaporibus compo-  
fita, Theologi cœlum, resq; omnes ex aquis: Aquas autem ex vaporib-  
us fieri, manifestum est: Hinc omnia ex vaporibus constare, quoad  
elementa, consequitur: Sic in philosophico opere Zeumon idem as-  
serit, quod cum corpus magnesiæ in aquam liquefactum fuerit, tunc  
certè omnia vapor sint.

S A B A.

ÆNIGMA

52.

*Quid hic intelligitur per vaporem, quid per aquam?*

S A L O M O N .

Vapor hic est ille, qui fugitiuum retinet, & aqua fugiens: Horum  
duorum etsi sit vna origo & materia, tamen forma & motio ad locum  
inter se differt. Vaporis forma nobilior videtur, quia spirituali naturæ  
propius accedit & homogeneitati, quam aquæ, quæ raro absq; terræ  
commixtione existit, ideoq; putrefactioni aliquo modo subiecta. Sic  
& vaporis motus, qui sursum tendit, excellentiore est, quam aquæ, qui  
deorsum dirigitur. Vapor ergo magis cocta & matura pars est operis,  
aqua crudior & rudior.

S A B A.

ÆNIGMA

53.

*An & fumus adest?*

S A L O M O N .

*Quid Philosophi de fumo albo scribant, te non latet: Ille enim*  
Leoni viridi & aquæ fœtidæ, ut seruus adiungitur; cum suis alis pernix  
& tenuitate agilis sit, ut Mercurii nomen assumat, nisi aliud haberet.  
Fumus albus Leonis sitim, & aquæ fœtorem tollit, idemq; præstat illis,  
quod fumus Tobacci Indis aut illorum sequacibus fumis fugis. Fumo-  
rum tot sunt genera, quot rerum combustibilium species, at nullus  
fumus huicalbo compar est virtute & pulchritudine: Quod enim o-  
dores & fumi cordialium & bene olentium præstant cordi humano,  
hoc fumus albus confert Leoni, nempe robur vitalium viscerum &  
vires membrorum: cuius signum est, quod Leoni viridi pili mutentur in  
colorem rubeum, qui constanti ætati peculiaris & proprius est.

S A B A.

ÆNIGMA

54.

*Vnde fumus albus prouenit?*

S A L O-

## SECUNDA DIES: DE METEORIS.

43

S A L O M O N .

In summis montibus nascitur quædam arbuscula salici non absimilis, quæ nec flores, nec fructus, aut semina producit, at gummi habet vberimum; hoc gummi ad ignem incensum dat fumum album, præter naturam aliorum fumorum, qui plerumq; nigri sunt: Hoc gummi multi videntes non agnoscunt eius virtutem; & pauciores, se illo egeri, sentiunt; sentientes quamplurimi ab aliis speciebus dignoscere nequeunt. Hinc Leo, qui à quibusdam perpetuâ quartanâ laborare affirmitur, calore & siti vehementiori premitur, adeò ut in marasnum ac tabem incidat, ac deniq; mortem immaturam incurrat.

S A B A .

*Habetne fumus albus & aliam in opere efficaciam?*

ÆNIGMA

S A L O M O N .

55.

Habet; Quia dealbat omnia, & in fumum verit, ut ipse est: Hic solus Latonam dealbat, & facit ex Æthiope candidum, ex homine monstroso bicipite uniformem, pulchrumq; iuuenem. Hincin Epistola Rhasis dicitur de Æthiope: Dealba coruum tuum, si vis dealbare ipsum: Et paulo pôst: Aqua nostra abluit sordes; mundabis omnem nigredinem & obscuritatem eius, tunc subridebit, dicens, Quis mundauit me? Qui vidit illud, subridebit locutus, &c. Et hæc dealbatio, quæ fit à fumo albo, non est solummodo superficialis, sed in profundum substantiæ penetrat, ideoq; perpetuò durat.

S A B A .

Hucusque satis: Alteri nunc locum concedo, ne quid nimis.

S A L O M O N .

Tu itaque Princeps celeberrime succedes, &amp; lampada cursu tibi traditam accipies.

H Y R A M V S .

Variæ fuerunt propositæ quæstiones de Meteoris præcipue aquofis; Quocirca nos de aliis quibusdam, quæ videbuntur arcana, adferemus: *Ventus an non operi est conueniens, qui alias magnam utilitatem rebus humanis præstat?*

ÆNIGMA

56.

F \*

S A L O -

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
SALOMON.

Nec ille hinc abesse poterit: Vbi enim vapore est & pluviâ, quorum unum mouetur sursum, alterum deorsum, ibidem & aëre existit, cuius motus est ad latera, & dicitur ventus, forte à veniendo vel aduentu eius. Venit autem ab omnibus mundi plagis, siue ab omnibus partibus circumferentia terreni globi, non quidem ex meatibus, aut poris terræ, sed circa terram in aëre, ex aeris motione seu impulsu fortiori. Ut

**Aqua flu-**  
**mus & reflux-**  
**mus causa.**

enim aquæ, fluuii & Euryipi, hoc est, fluxus & refluxus maris currunt & recurrent reciprocâ quodam motu: ita & aëri suo modo ad se mouendum impellitur, ne putrefeat, aut venenosis vaporibus inficiatur, & animalibus, in primis homini, lethalis sit. Aquæ à Lunæ motu reguntur, hoc est, fluunt, & ebulliunt, cum Luna in horizonte illarum oritur usque ad meridianum, occultâ quadam imperficiabili eius luminis proprietate, sensu horis, refluxunt vero totidem horis à loco superiori in decliniorum, motu communi & naturali, quo omnes aquæ tendunt ad loca centro terræ propinquiora. Abhinc dem fluxus & refluxus repetitur, Lunâ oppositum Horizontem apud Antipodas obtinente; Aëris vero motus seu ventus non à Luna prouenit, sed ex fuga vacui, & nimia corporum plenitudine in certo quodam loco; ut exempli gratiâ, abhinc versus Solis occasum fiat euaporatio frequens ex Oceano, aut aliis aquis particularibus, ita ut aëris eius partis occidentalis sit valde refertus vaporibus, qui non in eo loco simul manere possint: contrâ in nostro aëre sit paucitas vel raritas vaporum, ita ut aëris plus vaporum vel aëris in se recipere possit; & velit, ne vacuum committatur, à quo natura abhorret; Hinc aëris occidentalis hic incipit moueri quodam fluxu instara aquæ, & fit ventus, qui ab æquinoctio autumno natalis spirat.

**Ratio ven-**  
**torum ge-**  
**nerationis,**  
**noua.**

Idem ventus quadam motus continuatione, nisi natura recusat, versus orientalem partem mouetur; donec alius aliunde flare incipiat; vel appetitus particularis vniuersi cesset. Hac ratione in diuersis locis diuersi venti uno eodemque tempore spirare possunt, pro inaniatione aut repletione huius vel illius loci. At non in uno loco simul diuersi venti flare aliquamdiu possunt. Nam se aperiunt, vnu præualeat, & omnem motum aëris ad se transfert. Si vero ventus exter-  
rae poris veniret, diuersi in uno loco, vel in unum locum conflarent  
sæpius.

Sepissimè; Nulla enim est continuatio pororum terræ, vt aëris, vt una pars alteri cedat. Hinc falluntur, qui ex flatu venti ex Oceano venientis diuinare se posse putârunt, esse vltra Oceanum terram habitabilem, tanquam venti ex terra poris erumperent, vt de Æolia insula dicitur. Ex omnibus enim partibus circumferentiæ Terræ, vt dictum, venti proueniunt, siue sint in Oceano insulæ, siue non. Ventus enim *Ventus* est aëris motus à loco aëris pleniori ad locum nonita plenum. Plenior quid. tudo fit vel à ventis aliunde diu continuatis in unum locum; vel à va- *Ventorum* poribus elenatis, qui ab aqua eleuantur, & ex aqua gignuntur. Hinc *plenitudo* in Africa & Ægypto, vbi raritas aquarum est, præsertim in mediterraneis locis à mari procul remotis, est quoque raritas euaporationum, aëris serenus, absque nubibus, & absque pluviis. At nihilominus venti ibi spirant aliunde, vel ex maritimis locis. Stati quoque venti in ma- *Stati venti* gno Oceanoflare dicuntur, quia æqualis ibi fit euaporatio ex latissi- in Oceano. mo Oceano, ideoq; æqualis plenitudo, aut aëris abundantia in certis locis, in aliis verò siccis & torridis æqualis inanitio. Hinc quoque venti æqualiter ab uno loco in alium ibidem mouentur; quod non ita est in aliis mundi partibus, vbi diuersitas est terrarum, marium, fluminorum, aliarumque rerum magna vicissitudo, & sic euaporatio inæqualis inæquales ventos producit. Vnde admirari liceat Astrologorum audaciam & vanitatem simus, qui ventos certo loco & tempore prædicere conantur, quasi à Planetarum situ & circulis cœli imagina- riis orirentur; quod falsissimum est; Et si inde prouenirent: non tam magis verè, quam rustici, qui sciunt, quo anni tempore hævel illæ tempestates aut vicissitudines contingere solent, ventos prædicerent.

## HYRAMVS.

*Has esse veras & genuinas ventorum magni mundi ENIGMA causas, facile agnosco, At de ventis mundi philosophicau- 57. dire quid desidero.*

## SALOMON.

In magno mundo ventus à loco ad locum narrigia portat, molasq; magni ponderis versat, imò & currus veliferos (vt in China) per æqua- quora terrestria dicit, & similia, hominibus utilissima emolumenta præstat, quæ vulgo sunt notoria; at in philosophico opere fœtum seu

Ventus  
quid.

embryonem portat in ventre suo: Vnde ventus videtur esse mater infantis philosophici; aliâs enim non in ventre suo portaret, sed forte manibus gestare teum, qui ab alia matre foret in lucem editus. Ventus verò cùm nihil aliud sit, quâm aëris motus, hinc in aëre natus, sapienter natus affirmatur: quod verum esse non dubitamus. Etsi enim aëris hic ambiens nos & superior per se, absque terrae contiguitate nulli natalem locum præbeat, nisi meteoris antè dictis & dicendis: tamen ex aëre, inq; aëre foetum Philosophorum nasci, eorundem testimonis constat. Nam cùm ad cœlestem naturam genitus proximè accedere debeat, hoc est, aëriam, subtilem, tenuem, penetrantem, & informantem terrestria, densa, & crassa corpora: ideo & talis ortus ipsi conuenit: Aëre indigent homines, animalia, & vegetabilia omnia ad sui incrementum & vitam, sine quo perirent singula. Aëre eget ignis quicunque, quo si careat, extinguitur. Aëris cibus vniuersi continentis est, sine quo inedia, hoc est, vacuum, sâpe contingere, aut naturæ rerum inter se conciderent & destruerentur. Aëris est, qui philosophico foetu iudicatur, vitam, & motum. Est autem nihil aliud hîc aëris, quâm substantia mobilis, fugax, & inconstans, quæ quovis nutu Vulcani moueri & abigi possit, ut eius locus non inueniatur amplius; multumq; assimilatur monstru mulieris, quod licet vile habeatur, velut excrementum è corpore expellendum, tamen hominis, nobilissimi animalis, potissima causa materialis existit.

## HYRAMVS.

**ENIGMA**      *De Vento & Aëre satis: At quero, num pruina,  
58.      grando, nix & glacies in opere philosophico adsint?*

## SALOMON.

Pruina.

Grando.

Nix.

Hæc quatuor à frigoris vehementia fiunt, & nullo calore indigent ad sui generationem; Opus autem Philosophorum calore & non frigore perficitur: Ideo diuersarum causarum effectus quoque sunt diuersi, nec conueniunt in essentia. At similitudinariè adest & hæc quatuor huic operi, nemo dubitat. Pruina fit, si vapor de die sublatus, frigore noctis repercutiatur & congeletur: Est itaque ros congelatus. Grando fit, quando nubes resoluta in imbre, antequam ad terram perueniat, in aëre frido condensetur intercadendum. Nix,

qua-

quando pluia sic inter decidendum congeletur frigore. Glacies est aqua congelata frigore. Denique Poëta Aureolus sic inquit:

Ergo niuem cùm tu vitro de rafaris auri, &c.

Et Basilius in 2. clave: Non enim utile est, Aquila nidum suum in Alpibus ponere: Nam pulli eius præ frigore niui in summitate montium morerentur: Et mox: Tum Plato ventum affabit, & ex frigido dracone igneum spiritum volatilis elicit, qui suo magno calore aquile pennis comburet, ac sudorificum balneum excitabit, adeò ut nix in summis montibus colliquescat, & aqua fiat, quo mineralis balneum bene præparetur, ac Regi fortunam & sanitatem tribuat. Ita & de glacie sæpenerò loquuntur Philosophi. Ex innumeris vnum sufficiat: Rosius: Si glacies, inquit, ponitur in aquam simplicem, soluitur in ea per calorem, & redit in primam substantiam aquam, & sic aqua tingitur ex virtute occulta, quæ fuit in glacie. Si autem glacies non resoluitur per calorem in aquam, non coniungitur aqua, sed in aqua iacet, nec illam aquam tingit suâ virtute, quæ in ea ante coagulata fuit ex parte specierum: sic eodem modo si corpus non resolueris in Mercurium cum Mercurio, occultam virtutem ex eo habere non potes, scilicet sulphur digestum & decoctum per opus naturæ in minera.


### HYRAMVS.

Cum hæc quatuor sint frigoris effecta, quæ est vera ENIGMA  
causa frigoris?

59.

SALOMON.

Prima causa est remotione Solis seu radiorum eius obliquitas; Cum enim radii Solares repercutti in superficie terræ perpendiculariter, faciunt angulos obtusos, frigus regnat, eoq; maius, quo obtusiores, quo rectiores, eo calor fortior, prout patet in subiecto scheme.



Hinc

Hinc Sole eodem tempore vñ iloco est verticalis, eiq; maximum calorem impertit in meridie, alteri paululum est remotus à vertice, tertio magis, quarto adhuc magis, quinto maximè. Pro variatione itaque distantia Solis à vertice, variantur & anguli repercussionis radiorum, fiuntq; vel acuti magis, vel minus, vel obtusi. Obtusi anguli propriè dicti intra quadrantem circuli fieri nequeunt; Inde obtusos hic vocamus, qui proximè ad obtusos tendunt. Statuimus itaque, quod frigus aërem occupet, aquam & terram, in absentia Solis, qui, quo magis remotus sit, suoque calore inefficacior, eo frigore maiori elementa illa omnia torpēt & rigent; vt patet in locis Septentrionis, aut Circulo arctico subiectis, hyberno tempore glacie rigidissimis, cùm Sol in Islandiâ, extremis Norwægia & Lapponia partibus, aut Gronlandiâ circa solstitium hybernū non oriatur; sed alicubi, vt in Nouâ Semblâ, aliquot mensibus abscondatur: vnde ibi tenebræ & frigori intensissima dominantur: à quibus locis versus Solem meridianum, quo clima terra sint propinquiora, eo tenebras longissimæ noctis breuiores, & frigus hyemis minus experiuntur, vsq; ad ipsum Æquatorum seu Cingulum mundi, vbi calor è conuerso, duæque æstates, duæque hyemes, (quæ tamen æstatibus nostris sint calidores,) habentur.

- NB. 2. Secunda causa frigoris intensioris seu mitioris est ventus à frigidis, calidis, aut temperatis regionib; flans, qui aërem calidiorem vel frigidorem reddat. Hæc autem causa est inæqualitatis hyemis. Prima autem seu antè dicta causa est æqualitatis, vt nimirum Sole in illa remotione meridionali à quocunque loco constituto tantum semper sit frigus, non maius, nec minus; quod intenditur vel remittitur à ventis.
3. Tertia causa moderati vel immoderati frigoris potest esse operatio Planetæ alicuius siâ naturâ frigidi, vt Saturni, qui intendere, vel Martis, qui diminuere illud creditur: Lunæ nocturni radii, dum valde friget, manifestè peregrinanti vel dormienti nocent homini: Et hæc causa inæqualitatem hybneri frigoris constituit: Nec verò aspectus, vt vocant, Planetarum inter se hic quicquam operari poterunt, nisi oppositio fortè quoad Solem tantum, & maxima ab ecliptica declinatio versus Septentrionem, si hic ad Arcton, aut versus Meridiem, si ibi frigus intensum dominetur.

## HYRAMVS.

Quæ causa inæqualitatis frigoris locorum versus Ortum ENIGMA  
60.  
 & Occasum Solis sitorum sub eadem poli eleuatione seu dis-  
 stantia ab æquatore, quæ inæqualitas sat magna est; cum  
 partes occidue magis caleant, & Eo ærigent?

## S A L O M O N.

Sunt, qui hanc inæqualitatem ad moram Solis superhorizontem referant, quemadmodum ex hac causa hora pomeridianæ, quando Sol versus Occasum descendit, sunt longè calidiores æstate, quam matutinæ, dum Sol ab ortu ad meridianum ascendit, quamvis sint eadem à Meridie declinatione, & Sol in iis æquales radiorum repercussionis angulos faciat. Sed hac causa non est sufficiens: Quia calor Solis horæ non æ matutinæ & tertiaræ pomeridianæ differt, propter moram maiorem vel maiorem ratione vii certi loci, qui horæ non à saltem quatuor horarum mora Solem, eiusq; calorem receperit; horæ autem tertiaræ pomeridianæ decem. In globo autem terreno rotundo ea mora dari non potest: Nos interiectum terræ interuallum altis & frigidis montibus præoccupatum, aut per se incolas regiones, quales sunt Russia, Muscouia, & totius Tartaria ad Magnum Chiamum Indiæ extremæ imperantem, esse in causa coniicimus, vnde venti frigidores spirant, qui aërem sic quoque reddant; quod contingere nequit in eadem poli eleuatione versus Occasum: Quia hic mox Oceanus immensus occurrit, cuius aquæ nunquam glacie rigent; sed motione perpetua temperantur per fluxum & refluxum. Hinc insula in Oceano sitæ hyeme minus rigent, & æstate minus calent; quia humitas vaporosa aquæ utramque qualitatem remittit: quæ vero versus Ortum habentur, hyeme magis sunt frigidæ, & æstate minus calidæ.

## HYRAMVS.

Quid dicendum de monstroso & inusitata pluvia, lapis ENIGMA  
61.  
 dum,

G

dum, frumenti, sanguinis, piscium, ranarum, & his simili-  
um?

## S A L O M O N.

Hæc potius inter ostenta vel miraculosa est referenda, quam na-  
turalia: quia natura in ære talia non abscondit, aut seminat, multò  
minus nutrit, vel augmentat: Ideo hic tacet & quiescit. Oportet  
igitur ut alterutro modo eiusmodi ratiōra contingant, vel diuino,  
quo Moses v̄sus ante Pharaonem Ægypti Regem, vel diabolico, quo  
magi & nigromantici Ægyptii v̄tebantur. Qui hæc naturaliter excu-  
ſare conantur per vim turbinum, quibus frumenta, vel alia eius-  
modi in ærem rapta sint, vnde postea in modum pluviæ decidunt,  
falluntur. Ita qui ranarum semina cum aquis attracta per radios So-  
lares in nubes, veluti & piscium, ex quibus in nubibus ranæ & pisces  
exorti sint, affirmant, aliquid dixisse videntur, sed nihil, quod rei aut  
rationi satisfaciat. Malumus igitur illa hyperphysica fateri, quam le-  
uiculis ratiunculis demonstranda assumere. Huc spectat vitulus,  
qui integer aliquando ex nubibus cecidisse legitur, nescio, quam ve-  
rè. Et Anaxagoræ prædictus lapis magni ponderis; de quo heri  
mentio facta est. Alia res est, quam Auicenna in tractatu de conge-  
latione lapidum, cap. i. tradit; quod nimirum lapides fiant ex igne,  
cùm extinguitur: quia ſepe contingit corpora terrea & lapidea cade-  
re cum coruscationibus; quia ignis fit frigidus & ſiccus (sunt Auicennæ  
verba) ex ſua extinctione: Et in Persia cadunt etiam cum coruſcatione corpora  
area & ſimilia sagittis hamatis, & non poſſunt liquefieri, ſed per ignem euapora-  
ri in ſumum cogente humiditate, donec reſiduus fit cinis. Cecidit quoq; apud Lur-  
geam fruſtum ferri ponderis centum marcarum, quod præduriſtie, quâ ferè erat  
infrangibile; Miſſatamen eiuſ pars Regi Torati, qui precepit enſes inde fieri:  
Erat autem infrangibile & infabricabile. Dicunt tamen Arabes, quod enſes Ale-  
manici, qui optimi ſunt, de iſto ferro fiant. Cūm autem ceciderit maſſa illa, re-  
ſiliuit aliquoties à terra, ut par erat; quia composita erat ex minutis fruſtis  
coherētib⁹ ad inuicem ad quantitatē granorum magni milij. Hæc ille.

## HYRAMVS.

*Quæ lapidis fulminei causa, quæ tonitruum, fulminis, & fulguris?*

ENIGMA  
62.

## SALOMON.

Iam antè de hac materiâ dictum est; sed hîc declarationis gratiâ nonnulla addemus. Lapis fulmineus ex nubibus cadit, quia ibi generatus est ex viscosa & valde compacta materia, quæ cum vaporibus ascensit, & in nubibus sparsim continebatur, non aliter, quam calculus in hominum renibus, aut lateres in furnis coquuntur. At difference in eo est, quod quasi in momento ille in nubibus cogatur, & ~~vix~~ redigne vehementi compingatur; hi autem successu temporis, unde & ~~dissimilatio~~ lapidis vulgo Purgatio nubium dicitur, quemadmodum tonitru revera est, fulminei, & lapis reiectamentum seu fæx earum. Natura enim in quo cunque loco, homine, animali, vegetabilibus, aliisve corporibus, si oneretur humoribus excrementitiis, suo quodam instinctu conatur illos evanescere, ut patet in homine, per vomitum, aliis fluxum, sudorem, vrinam, in cane per vomitum, in aliis animalibus suo modo, in arboribus per gummi & muscos ad exteriora protrusos: Ita quoque in nubibus crisiā quandam instituit, igne iudice, qui heterogenea nubium, hoc est, crassa, viscosa, & fœculenta congregat magno sonitu & fragore, quo per nubes penetrat, eaq; vnam in locum cogit; Ut autem facilius deorsum ad centrum grauium allegari & remitti possint, tantâ vi, quantâ potest, ea compingit & condensat; atque sic necessariò inde lapis fit; quo factio in nubibus, natura vehementiorem motum, igne executore, molitur & lapidem summâ celeritate rectâ ad terras mittit. Hinc fulgor ab igne sequente vel iaculante lapidem oculis videatur: tonitru, dum ignis nubes concutit & diuidit, auditur, non quidem eodem momento, quo fulgor accidit, sed aliquamdiu post; quia auditio fit in tempore, visio in momento, hoc est, hæc fit per lineam rectam momento quasi extensam, illa per multos gyros & circulos longiori tempore circumscribendos: Fulmen vero est tenuissima illa aura percussa, summo impetu ad terras vibrata. Quemadmodum quid? enim, si ex magno tormento bellico globus lapideus aut ferreus emit-

tatur, non solum, quicquid hinc attingit, prosternitur; sed quoque, quæ proxima aura seu aer tetigerit, violantur, & laeduntur, propter celestium motum aëris, quo ille globo cedere ad latera cogitur; sic quoque fieri in hac lapidis ex nubibus iaculatione credibile est: Utq; semper adustio istius bombardico adest ex puluere pyro & igne, quo globus inficitur, ita & fulmini peculiaris sua venenositas est, quæ animalibus, præter impetum, lethalis existit. Hac colliguntur metallæ, ut pote dura & resistentia, mollia vero, ut sunt vestes, non attinguntur; Hac interdum vina vapescunt dolii intactis. Ad eundem modum Lapis philosophicus, quando perfectus est, penetrat omnia metallæ in momento, eaq; mutat & alterat in aliam formam, quam prius habuerunt: Vnde à Lullio aliisq; Philosophis assimilatur fulguri in metallis, cum haec in ignis examine micant seu fulgor emittant, perfectionis indubitata signa.

## HYRAMVS.

ANIGMA.

63.

*Quid antiqui Poëtae senserunt de hisce?*

## SALOMON.

Iouem iratum mittere fulmina & tela, quæ Vulcanus, quasi faber Deorum, fabricavit hamatâ formâ: Hinc Ouidius:

*Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat:*

*Iupiter, ex quo tempore inermis erit.*

Sed haec esse fictitia & vana, nemo non intelligit. Vulcanus, ut ignis, haec quidem in nubibus, ut dictum, efficit, at non ut persona. Deus quoque, qui Iehouæ est, his virtutis ad minas vel pœnas inferendas hominibus propter peccata, quamvis sint naturæ opera admiranda. Nam ipse naturalibus operibus & ad pœnam, & ad gratiam, hoc est, homines puniendos, & donis ornandos, nunquam non vti solet: Ut patet in incendiis, diluvii, peste, annonæ caritate, deletis frugibus a grandine, imbre, immundicâ siccitate, auro calore, & his similibus; & è conuerso in optimo prouentu rerum omnium ad victum & vitam hominis spectantium, malorum inpendientium avertione. Impietas autem magna est, dicere, Deum fulminibus aut pœnariis mediis destitutum ait, si homines, quoties peccent, puniat. Elus enim manus, hoc est,

## SECUNDA DIES: DE METEORIS.

53

est, vis omnipotens, haec habet in promptu, absq; ullius Vulcani opera, si velit..

## HYRAMVS.

Immodicus in quærendo, haec tibi, Rex humanissime, forte visus sum: quapropter huc subsisto, ac ut eadem aut maiorem in me libertatem tibi vendices, lubens permitto.

## SALOMON.

Non plus oneris mihi, quæm diuinâ assistentiâ ferre potuerim, à vobis impositum fuit: Ad te vero, Regia, mea ænigmata primum dirigentur, de eodem materiæ genere.

Cum fontes ex vaporibus, rore & pluvia montium ENIGMA  
64.  
coningant; estne fons in opere philosophico?

## SABA.

Est; at non solitarius; quia vel Diana in eo balneatur cum suis: Nymphis; aut Narcissus, formosissimus ille puer, suam in eo faciem videns & admirans, colliquefecit & tabescit; aut Rex ille, ad quem spectat, in eo se lauat, aut senex iuuenescit. Mirabilis enim virtutis hic fons est, quicantu virginis (vt soler fieri) iuuentus dicitur, vnde à virginibus amatur, & iuuentutem dat senibus.

## SALOMON.

Quæ est differentia vel conuenientia fontis cum eo, qui ENIGMA  
65.  
balneatur in eo?

## SABA.

Rex ille, Apollo est, siue Sol; & Diana, Luna, eius soror; Fons vero, Latona, habetur, mater eorum. Cum enim à Ioue ingrauidata Latona mortalis perennitatem peteret, Iupiter, ne votum omni ex parte ei degreassem videretur, postquam geminum reum ediderat fœtum, Apollinem & Dianam, Latonam in fontem perennem mutauit, qui, cum sub terra se abscondisset, à virgine prouocatus est in aspectum & usum hominum. Filii itaque in materno fonte gaudent se lauare, qui ipsi pro fœtu & nutrimento quoque est, ne alio indigeant victu: similia enim à simili.

à similibus facile attrahuntur, & in se inuicem, nempe nutrimentum in nutritum, transeunt. Hic fons vocatur ab aliis lac virginis; lac, quia lactis vicem præster; virginis, quia virginibus præbeatur, vel ab illis, ut dictum, inuentus sit.

## S A L O M O N .

**ÆNIGMA**

66.

*Cum fons sit quasi parens maris, estne mare in  
hoc opere?*

S A B A .

Truta.

Est mare, at non sine piscibus: Vnus in hoc præualet, qui Truta dicitur, & habens aureas maculas, instar stellarum, in cute, auri quoque appetens, in auriferis riuis inuenitur. Totum mare absque hoc pisce nullius utilitatis est. Quocirca quærendum primò mare, deinde dictus pisces ex riuis montium metalliferorum accipiendus, & in suum mare præcipitandus erit; tum ex uno pisce huius generis mille & plures generabuntur, totumq; mare piscibus stipatum reddetur. De fluvio Vngariæ Tibisco, narrant, quod adeò piscibus abundet, ut ferè tertia eius pars sint pisces: Verum in hoc mari maior adhuc copia nascetur, quia ad soliditatem & resistantiam hinc reducetur, idq; absq; hyperbole, licet non sine allegoria: Mare enim fœmina est, & pisces mas, fœminaq; mutabitur in marem; & sic mare in pisces.

## S A L O M O N .

**ÆNIGMA**

67.

*Sed magis in altum nos subleuemus ad ea, quæ supra  
nos videntur: Iris an non est in opere philosophico?*

S A B A .

Testantur id Philosophi, nempe quod adsit, quibus credendum erit. Vocant autem Iridem apparitionem omnium colorum; sic enim Riplæus in recapitulatione portarum inquit: *Colores pulchriores non quam sunt visi, pallidus & niger, falsus citrinus, imperfectus & rubeus, pauonis plumarum color elegantissimus, Iris, quietam prateribit, Pantheræ color varius, Leo viridis, &c.* Et Rosarius: *Item, cùm dictur, quod apparent omnes colores, verum est, quia ante fermentationem in calcinationibus, dissolutionibus & fixationibus apparent omnes colores.* Sunt autem Iridis colores obiecta visibilia ex Sole

ex Sole transmissa vnde cunque, at captata in resoluta nube, hoc est, stillatim cadente pluia, vel aliâ quacunque rotidâ aquæ expressione. Contingit enim aliquando, vt tubi subterranei pro aquæ ductibus positi in aprico, superiori loco rimam accipiunt, atque inde aqua magna vi in aërem profiliat, vnde instar pluiae destillet; hoc si fiat, quotiescunque radii Solares attingent istam pluiam, Iris apparebit, non vniuersalis, at particularis, parua & non longè ab isto loco remota: Vnde constat, quid sit, & quomodo contingat Iris illa magna, quæ inter arcus, cælo obtensa cernitur, nempe pluia cadente, & micante sole, in eodem ferè horizonte, aut non proculab eo.

## S A L O M O N.

*At unde sunt colores Iridis, cum Sol nullos dicatur co-  
lores habere?*

ENIGMA  
68.

## S A B A.

Sol omnium colorum in rebus vegetantibus auctore est, ideoq; potentia, si non actu, omnes colores sunt in Sole, excepto nigro, quod colorum prius priuatio, quam species videtur. A nigro ad album proceditur per intermedios colores: supra album & infra nigrum nihil habetur coloratum magis aut minus: Substantia verò vel corpus Solis nunc candidum, nunc flammeum nobis apparet, pro diaphani, per quod videtur, diuersitate. In ortu enim vel occasu propter vapores intercedentes, rubicundus videtur, aliás in Meridie albus & splendidus; vapores enim non sunt aër purus, sed nigræ materiæ aliquid admixtum habent; Inde ex hac nigredine & radiis solaribus candidis mixtis quasi, rubedo fit, quæ in diuerso hæret subiecto, tanquam color compositus; Iris verò contingit, quando radii solares incidunt in corpuscula, rotunda, diaphana, & liquida, hoc est, aquæ pluuias, ex quibus duobus tamen varius & ita distinctus suo ordine color apparet: Et quamvis ipsi radii hos colores perse non haberent, tamen ut accidens apparerent, si quando tale subiectum adsit.


## S A L O M O N.

*Verum colores illi Iridis non propriè in nube resoluta apparent, sed ex aduerso Solis & nubis, ita ut Sol per nu-  
bem*

ENIGMA  
69.

bem mittat suos radios ad oppositum, tanquam centrum  
super quod arcus irinus delineatus est hoc modo: Vbi a. est

Sol: b. nu-  
bes resolu-  
ta: c. cen-  
trum iridis  
& radioru-  
m: d. Iris, & e.  
terra, seu  
hominiis a-  
spectus.



## S A B A.

Sic est: Nam per reflexū centri radiorū cōtingit iris ea proportionē,  
ut quāta est amplitudo nubis résolutæ, tāta quoq; sit à cōtro radiorum  
solariū distātia iridis, q; schemate ad oculū demōstrabimus p̄senti:  
Hic a. est terræ superficies suprema, seu oculus humanus, b. c. iridis  
arcus; d. nubes résoluta, e. f. radii Solares ad nubem résolutam  
trans-

## SECVNDA DIES: DE METEORIS.

57

transmissi, g. ipse Sol: Huius sententiæ veritas apparet ex parua illa Iride antè dicta, ubi pro proportione magnitudinis pluuiialis deciden-  
tiæ etiam iris illa videtur.

### S A L O M O N.

*An, ut vulgus somniat, ad Orientem, ubi arcus Iris ENIGMA  
nus desinit, aurum inuenitur?* 70.

### S A B A.

Hæc sunt fictitia & fabulosa, ad decipiendum simpliciores com-  
posita, & ortum inde habent; quia Philosophi in aurigeno opere to-  
tius meminerunt Iridis, quoq; brutales ad literam interpretati, se,  
aliosq; fallunt.

### S A L O M O N.

*Cur Iris Junonis nuntia antiquis Poetis dicitur?* ENIGMA

71.

### S A B A.

Iuno apud quosdam eorum aërest, apud alios eruditiores, Luna  
philosophica; sic enim Iupiter & Iuno sunt sorores & coniuges, velut  
Osiris & Isis, & cum Iris Lunæ seu Iunonis vera nuntia existit; quia va-  
riis apparentibus coloribus, post albus color, qui mansurus est, adue-  
nit. Hinc apud Ethnicos id frequens auditur: *Iuno Lucina fer opem;*  
quia Luna sive Diana ante Apollinem nata, eodem partu, eiobste-  
tricis officium præstiterit, eodem momento, quo ipsa in lucem edita  
erat. Si enim albedo in opere philosophico, post varios colores, hoc  
est, Iride nuntia præcedente, apparuerit, illa rubedinis mox affuturæ  
causam præbebit.

### S A L O M O N.

*Cur aliquando duæ irides, vel tres, veletiam tot Soles ENIGMA  
aut Lunæ visantur?* 73.

### S A B A.

Id contingit ex parte aëris, qui Iridem, vel Solem, aut Lunam per  
reflexionem ex imagine recipit, quod ille ipse sit roridus, vel à vaporib;  
non liber: Inde prout idolum transmissum recepit, ita transmittit  
aliò eadē figurā; at transpositis coloribus contrario ordine.

H

S A L O-

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
S A L O M O N.

ÆNIGMA

73.

*Halo quid est?*

S A B A.

Est diaphani, per quod videtur Luna, alteratio à vaporibus. Vnde ventos aut frigus hyberno tempore prænuntiare traditur. Prope Lunam revera non est, vt nec aurora prope Solem; sed in intermedio aëre vaporibus referto, ita vt in causis aurora & halo non multum distent, quamvis in subiectis non conueniant. Vapores & hallucinatio visus utrobique in causa sunt; sed Halo contingit etiam Lunâ supra horizontem multum eleuata, aurora, Sole infra horizontem paululum adhuc constituto; quia Sole eleuatus suis radiis vapores attrahit, vel congregat in nubes, aut dissipat in pluuias, vnde tum aurora non appetet, licet rubēus non nunquam videatur. Luna non habet hanc efficaciam, quippe quæ lumen suum à Sole accipiat mutuum, & calore proprio sensibili, vt & lumine destruatur.

S A L O M O N.

ÆNIGMA

74.

*Quid existimas de casu stellarum siue materiae micantis instar stellæ?*

S A B A.

Illam substantiam esse viscosam, claram, & glutinosam, vt instar crystalli aut humoris pupillaris radios Solis in se recipiat, rationi consentaneum est. Quin ab ipsâ experientiâ constat, eiusmodi materiam aliquando reperiri in campis, quam vulgus ex stellis decidere affirmat; est instar gelati iuris, siue spermatis ranarum. Quomodo cunque sit, stellas ipsas non cadere, certissimum, quarum vna totum terrenum orbem sua magnitudine si non longè superaret, tamen æquaret: Nec migrare stellas à locis altioribus ad decliniora, patet. Vnde, cum nihilominus à certâ stellâ ille motus incipiat, & terminetur plerumque in horizonte, euidens est, quod excrementitia sit materia, segregata à puriore corpore. Nos nouos populos aut hominum congregations in stellis existere non dicemus, vt quidam Philosophi; nec eas fuisse ab æterno; nec esse quintæ vel sextæ essentiæ; sed à Deo ex aqueâ materia, clarâ, purâ, viscosâ, quæ Solares radios instar speculi in se recipiat,

## SECUNDA DIES: DE METEORIS.

59

piat, certo tempore esse factas, ut ornamenta cœli, afferimus. Nil itaq;  
mirum, si ex tali corpore talis factæ decidat. Sunt, qui annotarunt, mul-  
tas stellas disparuisse, & nouas aliis in locis visas esse, & non fixas esse,  
seu immobiles, sed inter se quoque situm commutasse, vt constat illi,  
qui Hipparchi stellas linearis ordine positas, vel ab eo notatas conferat  
cum iisdem.

### S A L O M O N.

*Stellas itaque nouas exoriri putas?*

ÆNIGMA

75.

S A B A.

Potest fieri, quod nouæ non sint, cum D E V S post primam crea-  
tionem nihil noui creare dicatur; sed quod saltem nobis in terra con-  
stitutis videantur nouæ, quia antea non visæ fuerint ob nimiam re-  
motionem. Plures enim esse in cœlo stellas, quam humanus oculus  
discernere queat, indubitatum est: Vnde illi, qui optico specillo pri-  
mitus vñi sunt, longè plures, & ideo quasi nouas obseruârunt stellas.  
Non enim omne, quod nouum dicitur, tum primo ortum necessariò  
habuit; sed quia nobis ita appareat, cum antea non viderimus: Hinc  
stellæ, quæ nouæ sub ortæ statuuntur, ex immensa altitudinis thesa-  
ru ante celato, in conspectum nostrum venisse potuerunt.

### S A L O M O N.

*Quæ est Chasmatum causa?*

ÆNIGMA

76.

S A B A.

Hæc nocturna sunt meteora, variis coloribus, motionibus, & mu-  
tationibus aëris apparentia, suntq; eius purgatio absque violentia, aut  
streITU. Si enim una pars aëris superioris sit purgata, & altera nubilo-  
sa, ex eo moto variæ figuræ apparent, præsertim quia aëris per se lumen  
Solis non recipiat, nisi sit purus seu clarus, & aliud corpus opacum  
post se positum habeat.

### S A L O M O N.

*Quid Cometæ sunt?*

ÆNIGMA

H 2

S A B A. 77.

Non sunt stellæ, quo ad formam, motum, aut durationem; quamvis, ut stellæ, lumen Solis in se recipiant: Qui enim putant, esse Cometas igneos vapores in aëre incensos, & ardentes eò vsque, donec absumantur, falluntur: Sole est, qui Planetis, stellis fixis, & Cometis lumen communicat; Vnde patet, quòd materia Cometarum sit æquè receptiva Solaris luminis, hoc est, viscosa, & instar crystalli clara, quam stellarum. Ex vaporibus quoque ascendentibus in superiorem aëris regionem eos fieri, credibile est, qui toties in se admixta terræ tenuissimæ portione, reducti, eleuati, & depresso fuerint, vt viscositatem claram acceperint: Non autem prius illuminantur, quam ad eam sublimitatem ascenderint, vt etiam in occasu Solis infra horizontem, radiis Solaribus peti & perstringi possint.

S A L O M O N.

**ENIGMA**  
78.. *An Cometæ quoque supra Lunæ regionem ascendunt;*  
*an vero semper in aëre sublunari hærent, ut antiqui existi-*  
*marunt?*

S A B A..

Sæpè in sublunari visuntur aëre, sed necraro supra Lunam prope Solis altitudinem, aliquando & Martis; qualis suit, qui ante 40. annos, aut circiter in Cassiopeia apparuit, quem propterea miraculosam stellam quidam putarunt. Historiæ vero complures eiusmodi in cœlo sitos Cometas recensent, ne virus hic visus humano imposuisse crederatur: Est autem ratio simplex, plana, & infallibilis, quam obseruantur. Cometæ, in qua remotione sint à terris, an infra Lunam, aut supra.

S A L O M O N.

**ENIGMA**  
79.. *Quæ est illa obseruandi ratio? Et post acquiescam tuis re-*  
*sponsionibus.*


S A B A..

Pér notationem parallaxeos Planetæ vel stellæ certæ, ac eiusdem cum Cometæ visi parallaxi, quam facit, comparationem: Primo, stellæ fixæ nullam dant parallaxin; Saturnus vix sensibilem respectu fixarum; Iupiter paulo maiorem; Mars adhuc maiorem; Solis obser-  
uarii

SECVNDA DIES: DE METEORIS. 61

uari vix potest; Luna omnium maximam; Quod si Cometa sit in <sup>Parallaxis</sup> <sup>in</sup> Lunam, parallaxin quoque habebit maiorem; si supra, minorem. Est autem parallaxis variatio situs alicuius rei, respectu habitu ad rem immobilem, pro mutatione loci oculividentis, vel duorum visibilium: quid. Exempli gratia, sit Cometa A. non procul à signo Tauri B. & Sols sit in Libra C. Accipio instrumentum obseruatorum, vel etiam baculum, ut vocant Iacobi, D. & quando est supra horizontem E. vna cum:

FIGVRA PARALLAXEOS OBSERVATIONEM OSTEDENS.



H<sup>1</sup> 3: oculo,

oculo Tauri F. capio distantiam in gradibus Cometæ ab Aldeboram seu oculo Tauri; Deinde post 6. ferè horas, Cometa ad meridianum G. eleuato, capio iterum distantiam vtriusque ad inuicem: sit prima distantia 6. graduum, & secunda 4. Ergo parallaxis est 2. graduum in 6. gradibus. Quod si Luna in eadem distantia, nempe 6. graduum ab eâdem stellâ, vel aliâ fixâ, in ortu, post prope meridianum, tres saltē gradus habeat, tum Lunæ parallaxis maior est, & situs inferior, quam Cometæ obseruati, si 5. tum minor, & situs Lunæ superiore est; si æqualis, æquales sunt parallaxi & loco: ut patet ex proxima præcedenti figura.

Simili modo alia Phænomena obseruanda sunt: at non ita vera distantia ab oculo, sed saltē generalis in comparatione ad alia indagatur, nempe vtra ex duabus aut pluribus sit maior, aut minor. De alio modo iam antè dictum est.

### S A L O M O N.

ÆNIGMA

80.

*Phænoménis circulos, signa, gradus & polos cœli adnumerabimus, quibus Astronomia absoluitur; Annō ex hisce quædam adsunt operi philosophico?*

### H Y R A M V S.

Aries cœlestis.

Imò: Totum enim cœlum antiquis Ægyptiis huius artis peritissimis visum fuit instar tabulæ rasæ, aut codicis explicati, in quo stellæ sint literæ, seu sydera hieroglyphica, quæ præcipua Philosophorum arcana ipsis inuoluta teneant & conseruent, præ vulgo autem aliisque ignarioris abscondant & celent. Etsi enim illorum animalium cœlo illatorum causæ referantur ad externas quasdam Deorum actiones; tamē cùm hæc omnia, si ad rei veritatem & historiam gestam spectemus, sint merè fabulosa, nec vñquam facta, sed primâ origine & introductione Chymica, non absurdè suo merito & iure ad ea reuocanda erunt; Nam Aries Phryxi, qui aureo vellere à Mercurio donatus est, aut, vt alii dicunt, pelle purpureâ, cùm priùs fuisset candida, ad quam auferendam in Colchidem Iason cum 50. comitibus profectus est, quid aliud significauit, quam subiectum philosophicum, & vellus eius aureum, quam summam medicinam ab Iasone Medico petendam?

dam? Hic verò Aries ob id beneficium deportati Phixi aut potius velleris tam pretiosi in cœlum translatus perhibetur, ubi primum Zodiaci signum tenet: Idem dicendum de TAUro; hic enim Europam Taurus. Cadmi sororem gestauit, cuius formam Iupiter assumpserat. Est autem Cadmus idem opifex, qui Iason, quod pater ex eiusdem generis serpente, eiusq; dentibus seminatis, vnde terrigenæ armati profilient. Si verò pro Acheloo, in Taurum mutato, cuius cornu copiam omnium rerum effudit, hic Taurus sumatur, eodem res redit; Taurus enim Chymicus est, quod ex allegoriâ illi affictâ omni ex parte patet. Tertiūm cœleste signum sunt GEMINI, Castor & Pollux, qui cum sorore Helena & toto bello Troiano, ut alibi (nempe 6.lib.Hieroglyh. Agyptio-Græcor.) demonstratum, ad Chymiam spectant: Ita Cancer Cancer. Herculi artifici laborioso Chymico submissus, Chymicus est. Leo Leo. quoque Cythaeronius seu Nemeaus; atque ita de ceteris signis & plerisque syderibus statuendum erit; quod scilicet ab allegoriis Chymicis originem ducant. Huc spectant Geminæ Vrsæ, maior & minor, Serpentes, Canes quoque bini, Sirius & Lælaps, Argo nautis, Pegasus, Peiseus, Andromeda, Cassiopeia, Hercules, Lyra Orphei, & his similia.

## SALOMON.

*At alii hæc longè aliter interpretantur, nempe vel ad historiam, vel ad mores, vel astrologica, vel naturæ communia opera; quid tu ad hæc?*

## HYRAMVS.

Impossibile est, vt quis supra captum, intelligentiam vel experientiam sapiat; Hinc verè à Poëta dicitur:

*Nauita de ventis, de tauris narrat arator,  
Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

Hi enim, vt omnia, quæ audiunt, suis subiectis accommodant, existimantes, ea admodum bene cum iis quadrare, cùm tamen, de quibus rebus sermo sit, non intelligatur. Sicalii etiam inter doctos numerati, si antè dicta audiant, vel legant, suæ crepidæ assimilant, vel appropriant, non cauentes illud: *Ne sutor, &c.* Ethnici suis Diis & he-

ÆNIGMA

81.

& heroibus nihil impossibile putârunt fuisse factu, vtq; illi in cœlum  
sint translati, sic quoque eorum animalia in sydera migrasse. Delean-  
tur Dii, Deæ, Nymphæ, heroës, & heroinæ à Diis ortum ducentes:  
Delean tur fabulæ & facta monstrosa iis singulis ascripta, aut potius  
luæ origini & proprio subiecto restituantur, & historiam Ethnicorum  
in plerisque claudicare, aut secum neutiquam, nec cum rei veritate  
conuenire, manifestum fiet. Capitale erat antiquitus, de his dubitare,  
aut quæstionem villam dubiam mouere, nobis non item: qui, si, vt  
res est, & postulat simplex veritas, in Ethnicorum historiis de Diis &  
heroibus commemoratis, vellemus obeliscos ponere, vereor vix pa-  
gellam futuram, in qua non multi visendi sint: Sed de his alibi copio-  
sius dictum fuit. Eorum alii, vt & recentiorum, videntes enormitatem  
& absurditatem tantarum rerum, ad naturalia opera, etiam rusticis &  
vulgo nota, retulerunt, iiq; rusticis non capaciores videri poterunt.  
Nonnulli ad mores respexerunt, quasi morum doctrina debeat esse  
obscura, vel allegorica; exempli gratia, leges planissimè traduntur,  
non per longè quæstas fabulas, cum alias per se ob materiae varia-  
tem etiam planæ in verbis ambiguæ fiant. Astrologi hæc pro se facta &  
picta esse in cœlo arbitrantur. Inde domicilia cœli ad ea dirigunt &  
disponunt, singulorumq; syderum vires correspondere illi animali,  
cuius nomen gerunt, nugantur, in hoc Ethnicorum opinionem securi-  
ti. Nam si Aries cœli, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, & reliqua  
Zodiaci sydera, fuerunt eiusmodi animalia in terris, & modo à Poëtis  
dicto in cœlum transposita, inq; stellas eas mutata: rationabile forer,  
antiquæ naturæ ea aliquid retinuisse, vt sub Leone venatio, sub Ge-  
minis nuptiæ, sub Virgine votum moniale, sub Tauro & Ariete, pilo-  
sis pili, vt facile renascantur, radendi, maximè valerent. Sed stultum  
est ita cogitare, cum constet, ea nomina & omina, cœlo eiusq; certis  
stellis, quæ nec formam externam villam, nec vires cum istis animali-  
bus communes habeant ( cœlum enim non fert bruta ) ab Ægyptiis  
Philosophis primò attributa esse, vt pote Chymicis allegoriarum illa-  
rum non ignaris, quos ignari Astrologi secuti omnia suo nutui ascri-  
pserunt, putantes, se in cœlo inuenisse, non quod pueri in faba, quis-  
quiliæ, aut res viles, lucidas, sed stellas & earum veros effectus seu  
operationes in hæc inferiora.

Astrologo-  
rū stultitia:

SECUNDA DIES: DE METEORIS.  
S A L O M O N.

65

Quid de erectione figurarum Cæli, seu Natiuitatum,  
ut vocant, certarum personarum sentis?

82.

H Y R A M V S.

Hæc est iam dictæ doctrinæ cōsentanca, & ex eisdē fontibus oritur,  
ex quib. illa; at isti fontes sunt turbidi, & fœtidi, nihil liquidæ veritatis  
emittentes. Primo enim demonstrandum erit Astrologis, stellas antè Astrologis  
relatas habere in genere eas vires & virtutes. Secundo, etiam si habe- quæ demō-  
rent his persimiles effectus, quod satis illi obseruati sunt, & suæ causæ, stranda in-  
hoc est, indiuiduo stellæ vere asscripti. Tertio, probent indiuidua stel-  
larum, vel sydera coniunctim in indiuidua locorum & personarum  
operari, & tales effectus producere. Quartò demonstrent, causas &  
effectus iam dictos suis spatiis, circulis & lineis, ab illis fictis & imagi-  
natione in cælo constitutis, aut in charta depictis parere, & morem  
gerere, nec citra vltra ve, quam ipsi velint, suis virtutibus progredi.  
Quinto, cum alii ad æquatorem seu cingulum mundi domicilia sua  
diuidant, alii ad Meridianum, eadem certitudine, ut volunt: definiant  
prius, vtra ex illis diuisio sit legitima, cum ambæ veritati conuenire ne-  
queant. Sexto, ostendant, etiam si sciant positum Planetarum & syde-  
rum ad horam vel momentum alicuius Natiuitatis, quomodo illud  
momentum, quo quis vitam ingreditur, prælagire poterit omnium  
eius vitæ accidentium & casuum. Septimo, quomodo gemellarum  
vno momento quasi temporis editorum, diuersos mores, faciem, ge-  
stus, vitæq; totius actiones excusabunt? Habent quidem regulas, vt  
dicunt, certas, ab antiquitate illis relictas; sed haec non poterunt non  
Ens in Ens mutare; aut falsitatem in veritatis formam. Ea singula A-  
strologiam mihi suspectam reddunt, in primis illam partem, quæ ver-  
satur circa Natiuitatum erectionem. Ptolemaeus quidem ex Ægyptiis <sup>Ptolemæus.</sup>  
probatus & antiquus author, de his copiosè scripsit, vt & ille à maiori-  
bus accepit, & multialii volumina de tamen incertis rebus ingentia edi-  
derunt: verùm in illis tot sunt obseruationes, exceptiones, & varia-  
tiones, vt omnia de omnibus dici posse, putandum sit. Saturnus & <sup>Planetarum</sup>  
Mars maleuoli sunt illis Planetæ, præsertim coniuncti in certis locis <sup>distinctio.</sup>  
aut domiciliis certo à Sole aspectu, in remotione duorum, trium, qua-  
tuor vel sex signorum Zodiaci: Iupiter & Venus contra beneuoli, ita

I & Sol;

& Sol; Mercurius verò ambigens, & Luna humorum domina statuitur: Horum alii sunt directi, alii retrogradi, alii celeres, alii statui-

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

83.

*At in quo censu Astronomiam habes?*

H Y R A M V S.

Eam verissimam esse, suisq; indubitatis fundamentis nitit, nempe Arithmetica, Geometria, Hypothesibus, & Phænomēnon observationibus, quæ sunt per instrumenta magna & certa, volens concedo: Huius legitimū viū annos, menses, dies & horas ordinare in Republ. & communī vita, constat, abusum verò ad prædictionum astrologicarum vanitatem declinare: Astrologi verò, Mathematici aliquando dicti, nec de humano, nec diuino iure tolerantur, Astronomi maximè.

## S A L O M O N.

At nunc parcendum videtur diei, nostrisq; pro hac vice disquisitionibus, nec nocendum nocti, quæ instat, & nos quieti mancipat.

SEPTI-

SEPTIMANÆ PHI-  
LOSOPHICÆ  
Tertia Dies:  
DE TERRÆ FOSSILIBVS.



SALOMON.



HALES ille Milesius, unus ex Septem Græciae sa-  
pientum numero, qui primus Solis eclipsin prædi-  
xit, & de Ursa minore differuit, cum cœlum suspi-  
ceret, in terræ foueam cecidisse dicitur; quod ab  
ignaris ignominiosè acceptum est, quasi sydera

I 2

cœli

cœli obseruaret, & negligeret interim, quæ ante pedes essent, aut in terra: Verum responderet Thales pro se, quod os homini sublime eratosq; vultus Natura dederit, ut sydera cœlumq; intueretur, non ut pecudum more, quæ pronæ in terram detortæ sunt, semper solo oculos infigeret, aut pascuis intentus esset. Verum nos cum hactenus cœli naturam & contentia, nec non quatuor Elementa, ut corpora simplicia, & ex his imperfectè mixta sive Meteora contemplati fuerimus; atque ita cum oculis mentem ad superiora direxerimus: ne in similem reprehensionis aut cauillationis scrupulum impingamus, nunc in terræ caueñas & fodinas, quæ sunt sub pedibus quidem, at nihilominus optimos huius vitæ thesauros abscondunt, instar illius Lyncei, oculorum aciem intendemus. Post simpliciter enim mista, quæ magnæ ex parte in aëre visuntur, hæc in terris abdita sequuntur corpora, quia ex sola elementorum compositione absque vegetabili anima constant. Ut autem eorum naturam in genere ex causis describamus, & hoc die, qui nostræ Conuersationis Philosophicæ tertius est, consideremus: in memoriam reuocanda sunt, quæ de igne in quolibet alio elemento latente antea à nobis relata sunt. Terra in primis ignis est particeps, illi hospitium perpetuum, licet occultè præbens. Non hic autem loquimur solùm de partibus terræ, ut silicibus & aliis terrestribus subiectis, ex quibus ignis scintillæ excuti videntur, quæ tamen non absque duriori corpore, ut est chalybs, aut lapides, adamas, smiris, & his similibus, ne cabsque aëris intermedio, extunduntur, sed de orbe terreno, tanquam toto, continéte in se centrum omnium corporum grauium.

**Terra in-**  
**primis ignis**  
**particeps.**

Vnde hic ignis seu igneus calor in terræ visceribus seu interioribus adytis proueniat, an à Sole, eiusq; perpetuo circa terræ superficiem rotundam agitato motu, an à Planetis reliquis, an ex sphera ignis, quam alii statuunt, an alio modo? non immerito quæri solet. Plato in compositione corporum ex elemētis, dicit, à Creatorc summo ignem esse terræ copulatum pro basi seu fundamento, atque his postea alia vicina elementa suis vicinis, ut aërem igni, aquam terræ, & vicissim aërem aquæ connecti, ut circulus elementorum absoluatur: Quæ Platoni sententia locum quoque habet in magno hoc terreno corpore, quod licet pro elemento terræ habeatur, purum tamen non est elementum, multum aquæ, aëris, & ignis hospitali & affinitatis iure in se recipiens. In primis verò ignem tanquam necessarium complectitur in

**Vnde hic  
ignis.**

**Platonis  
sententia.**

## TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 69

tur in abditis suis cameris à prima origine ex ordine Creatoris, vt ex horum duorum amico complexu & alia non ita amica sibi inuicem reconciliarentur, & vnâ ad corporum naturalium compositionem consiprarent. Vnus enim vir benevolus huic & illi iniamicis inter se amicissimus multum boni in eorum iræ sedatione & animorum coniunctione præstare potest, vt ab experientiâ patet. Exempli gratiâ, Cicero amicus erat Pompeii, nec non Iulii Cæsar; hi verò duo inter se dissidentes; Promisit Cicero, vt intermedius, vtrorumque reconciliationem, si sibi attenderent; quod consilium Iulius Cæsar admisit, Pompeius nullo modo, modestiæ humanæ fines prætergressus, dicendo, se vel uno pede orbem ad suæ causæ defensionem commoturum, & non prius satiari, quâm Iulii caput abscissum in manibus suis vide-ret; sed è contrario res euénit. Quod nisi ignis & aqua inimici, tertio, nempe aëri, vtrique amico, aliter obedirent, moremq; in reconciliando gererent, nulla compositio corporum ex elementis fieri posset, sed vel aqua ignem penitus extingueret, vel ignis aquam in fumum subleuaret. Ignis similiter aëris & terræ simultates lenit & mitigat, ne sibi inuicem manus inferant, & iugulum petant; quemadmodum & aqua facit, & vicissim terra in aquæ cum igne dissensu. Ignis subterranei cum terra, ceu hospite, amicitia, confirmatur à lampade cœli, Sole, hoc est, augetur, quo cunque modo id fieri possit, etiam si non intimè, tamen aliquatenus & mediata, nec non à ceteris scintillantibus facibus, seu stellis. Quamvis verò actualiter hæc cœli lumina terram non ita incendant in superficie circum circa, vt calor per tantum interualum penetret ad interiora terræ viscera: tamen virtualiter seu potentialiter in eam operantur non minus efficaciter, cùm potentialis calor fortis facile vel per se, vel ab actuali adiutus in actum erumpat, vt apparet in spiritu vini mox flammam corripiente, in abietibus vel æstu Solis, vel motu funis incensis, ne calcem viuam, scenum humidum angusto loco conclusum, & eiusmodi alia commemorem, quæ vel ex se, vel aduersarii interuentu inflammantur. Quod si quis de Solis & Planetarum potentiali calefactione per tantum corporis obiecti, densi & duri, spatium penetrante dubitet: consideret Lunæ vires, quæ, dum est infra terram apud Antipodas, hîcapud nos Oceani & fluuiorum, illi propinquorum, ebullitionem, & fluxus ac refluxus, & è conuerso in nostro meridiano existens, eandem operationem apud illos

**Focus.**

**Vulcanus.**

**Terra vbi  
densior, vbi  
rarior.**

**Pyrenæorū  
montium  
accollæ ma-  
gna ex par-  
te valde in-  
humanæ.**

**Vas Na-  
turæ.  
Alembicus  
Naturæ.**

illis causatur. Esse itaque focum in medio, vel prope medium Terræ orbis, qui calorem foueat, & rationi & experientia consentaneum est. Atque hic est Vulcanus subterraneus, qui fabet est multorum operum, de quibus post dicemus. Quæ cauâ est, quod in Lemno insula Vulcanum potissimum habitare antiqui Poëtæ finxerint, quia illa terra valde calida, sulphurea & fumosa existat, quod signum est euidensissimum, interius calorem esse abditum, à quo hæ qualitates prouenant. Unde non immerito Iason ille (idæa Medici perfecti) ad veillus aureum auferendum in Colchos profecturus, hoc est, ad tineturam philosophicam elaborandam vel obtainendam, omnium primò in Lemnum se contulit, ut Vulcano, ibi habitanti, litaret. Hic Vulcanus siue ignis subterraneus calefacit omnia vicina loca, & officinam suam extendit versus superiora & supersiciem terræ. Est autem terra absque dubio prope centrum densior & compactior, porosiorve & rarior prope superficiem. Ita enim ad usum inhabitantium extinsecus & generationem latentium intrinsecus est accommodatior. Nam si durissima & continua saxa absque poris ubique tota terra haberet, nil virisq; iam dictis utilitatis præstaret, dum semper maneret saxea & solida, nec non immutabilis. Referunt, in quibusdam Hispaniae partibus prope

Pyrenæos montes accolæ valde inhumanos esse, nec vix peregrinum hospitio suscipere, inq; eo barbarie inculta, indicia haud dubia prodere, quos moribus inconditis & vita institutis ab omni humanitate alienos esse oportet, parumq; ipsos peregrinari. Hisce persimilis tota terra foret, nempe inculta & barbara, si non in suis poris, tanquam cambris, alia elementa recipere, aut particulatum cum illis communiqueret, & versaretur ut hospes. Hinc aqua, meteoron ex aere cadens in terram, vt imber, pluuiia, rqs, pruina, grando, nix, seu alias, imbibitur à terræ poris & cavitatibus, inq; sinus interiorcs descendit. Hæc descensio liquida seu aquæ materiæ non fit sine commercio terræ purioris, quæ se in transitu aggregat aquæ amicæ, eiq; adhæret, quaqua versus labatur ratione ponderis ad centrum iter in instituens; estq; hæc naturalis immissio materia distillandæ à natura in suam cucurbitam.

Nam vas naturæ sunt saxosa vel terrena claustra centro terræ proxima; quæ se extendunt ad superiora longo ductu; Estq; alembicus propriè dictus, seu vas supra vas, terræ illud spatium, quod superficie eius proximum est, vbi mineralia quæcunque inueniuntur, à natura

com-

# TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 71

composita, vel in liquidâ, vel coagulatâ formâ. Hæc omnia ex diutinâ elementorum alteratione generantur in genere, hoc modo: Aqua plus vel minus terreæ substantię sibi incorporans descendit naturali suo motu versus centrum, quod antequam perueniat, calor ei fit obuius, qui illam in aërem resoluit; vnde & ignis & aëris fit particeps. Aqua in aërem resoluta secum partem terræ assūmit, vel in fugâ acquirit, quam huius alii latè expansis tollit, & per poros terræ verius superficiem eleuat; vbi frigiditate loci aëri in aquam reuertitur, & eodem ingenio, ut prius, descendit, magis munita, vel aucta terreis atomis seu stipitoribus; cumq; peruerterit ad locum caliditatis pristinum, iterum resoluitur; ut prius, & ascendere cogitur; atque hæc ascensio & descensio durat non saltem per mensem aut annum, sed ferè mille annos; intra quod spatium induratur in minerale correspondens variatio mixtio. Prout enim hoc vel illo elemento magis vel minus abundat, ac ab astris influentiam essentialem acceperit ab aliis diuersam, ita & haec vel illa formâ generatur. Sunt autem terræ Terra fossilia multiplicis differentiæ: Aut enim absque Mercuriali substan-  
lia varia.  
 tiâ, aut ex illa particulariter constant: Quæ sine Mercurio existunt, Quæ sine  
 sunt terræ, lapides, salia. Terræ vel sunt medicinales, ut Armena, Le-  
Mercurio-  
 mnia, Silesiaca, vel coloratiuæ. Lapides vel sunt pretiosi, vel communi-  
 nes. Salia sunt, ipsum sal commune, vel eius muria, armoniacum, sal  
 potræ, vel nitrum, alumén, vitriolum, & quæ huic referuntur alia. Quæ  
 ex Mercurio sunt composita, aut semimetalla, seu spiritus; aut metalla Quæ ex  
 habentur, nulli non cognita. Horum Mercurius fit ex aqua & terra Meticulo.  
 permixta inter se mixtis, & in fumi speciem simul ascendentibus, in  
 aquæ descendéntibus; donec vnum complectatur aliud; amboq; vi-  
Horu Met-  
curius vnde  
fiat..  
 seositatem quandam recipiant cum homogeneitate, claritate, ponde-  
 rositate, & albedine. Quod si tum inueniatur vel per se solum in lacu-  
 nis montium, vel in terræ vena contentum, indeq; separetur, appella-  
 tur hydrargyrum; vel, argentum viuum vulgare; seu Mercurius com-  
 munis: Si vero ascenderit hæc aqua vaseola, ut vapor humidus, &  
 alium fumum siccum & calidum, pingue & sulphureum eodem  
 modo inferius generatum, sed ex diuersis elementis proportionatum,  
 in ascendo contigerit: capitur ab illo, tanquam virgo ab ardente  
 proco, fitq; ex his duobus, foemina & mare, in qualitatib; contrariis,  
 primus amor, seu coniugalis mixtio. Ut vero matrimonia apud homi-  
nes

nes inter personas diuersas genere, sorte, formâ, ætate, moribus, linguis, nationibus, dotibus, & bonis sæpenumero contrahuntur: sic quoque magna est differentia in horum coniugum copulatione. Sulphur enim vel purum, impurum, terrestre, saxosum, flauum, tubeum, vel alterius conditionis existit; sic & argentum viuum; Aut si pura hæc bina fuerint, maculantur tamen ex loci impuritate & qualitate diuersa, tanquam fœtus ex matricis contagio nascitur morbosus, & morphæ quadam präoccupatus: Hinc tot spiritus minerales, veluti abortus & oua subuentanea, totq; metallorum genera, & generum species, magis vel minus ad perfectionem dispositæ, vel ab ea detortæ, proueniunt, & ante maturitatem, quæ in nonnullis speratur, & est possibilis, ex naturæ vinculis eruuntur, & ex tenebris in lucem curiositate humanâ, aut potius avaritia producuntur. Ex dictis paucis de dicendis plurimis iudicandum erit. Tu itaque, Regina Serenissima, de hisce abiectionis terræ fossilibus seu fumosis substantiis, mecum hoc die differas, non ignara, omnem fastum ferè mortalium hisce fumis quasi suffarinatum constare. Nam si hos fumos & puluisculos, siue albos, siue flavos, seu alterius coloris, tollamus & separemus de medio: non erit materia superbiae, elationis, aut ex diuitiis iactantiæ. Vnde rectè à Poëta dicitur de huiusmodi:

*Effodiuntur opes irritamenta malorum:*

quod tamen de abusu eorum intelligendum, non de moderato & vero usu, quo bonis maximè annumeranda sunt, vti nos accipimus.

### S A B A.

Duas mundani Codicis paginas perlustrauimus, nempe Cœlum visibile, & aërium tractum ad terræ superficiem usque: nunc restat tercia, quæ à superficie ad centrum terræ extenditur, & fossilia sibi innata seu insculpta habet, instar literarum hieroglyphicarum seu realiū. Hæ nobis hodie si non exactè perlegendæ, tamen componendæ & dividendæ erunt, tanquam Abecedarii, & elementa prima literaturæ physicæ discentibus, aut discendi cupidis. Cadmus dicitur primus apud Phœnices literas legendi & scribendi modum, ab Ægyptiis mutuatus, tradidisse, & ad Græcos transtulisse. Idem metallorum tractandorum & fundendorum rationem, exq; mineris suis educendorum & segregandorum, ibidem docuit, vnde adhuc Cadmianum reman-

## TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 73

remansit in terrâ lapidosâ & minerali quadam, Mercuriale quid, licet multis venenosis fumis permixtum, continente: atque sic subterraneam scripturam mineralium substantiarum cum Geometricis figuris, literarum ductibus, coniunctam coluit & illustravit, non immertiō Heros inde hominum memoriā dignissimus hucusque celebratus. Hic idem nobis in hac tertia pagellâ mundi in inicio citandus, & honoris gratiâ nominandus venit:

*Cadmus itaque ex quo genere serpentem occidit?*

ENIGMA

84.

S A L O M O N.

Serpens ille fuit Typhonis & Echidnæ soboles, non indigna cuius parentes nominentur, & genealogicè recenseantur, cuius fratres fuerunt & sorores; ille apud aureum vellus custos; & alter ad hortos Hesperidum, Hydra, Sphynx, Chimæra, Cerberus, & eiusmodi monstra alia quam plurima. Est autem Typhon ardens & furiosus spiritus, ventus, vel fumus, quem sulphur antea vocasti, & Echidna, serpens frigida & humida, fœmina, vt ille mas, aqua viscosa, vt illud terra ignea, pinguis, vel butyrosa: Talis est Serpens, qui Cadmi socios, aquatum euntes, absumpsis, & à Cadmo interfectus est.

S A B A.

*Estne Cadmia in opere necessaria?*

ENIGMA

85.

S A L O M O N.

Maximè: sine ea namque nihil efficitur, quod intelligendum erit de philosophicâ. Hæc est chaos illud rude, habens in se quatuor elementa confusa, nec bene distincta in suis qualitatibus contrariantibus, ignem cum aquâ, & aërem cum terrâ, quæ, nisi ritè tractentur, artificem ad interitum redigunt, hoc est, ad finis frustrationem, & bonorum dilapidationem. Atque hoc totum compositum, præcipuum artis subiectum est, Draco Philosophorum, idem re cum antedictis monstris & draconibus aurei Velleris, Hesperidum, Cerbero, Chimæra, Sphynge, Hydra, & his similibus.

S A B A.

*Quid agendum cum hoc Dracone Cadméo?*

ENIGMA

86.

S A L O M O N.

Si viuus maneat, interficit viuos; si occidatur, dat vitam mortuis,

K

non

non hominibus, sed elementis reliquis; Hoc est, elementum aquæ exiccandum erit, & ignis maiorem fulgorem habebit, aut terra superflua demenda, & aër apparebit in suâ sphærâ apertior. In aquis enim & humidis locis hic Draco stabulatur, vnde per insidias incautos plurimos adoritur & interimit.

S A B A.

ENIGMA

87.

*Quid faciendum interfecto Draconi?*

S A L O M O N.

Idem quod Cadmus Philosophus ei fecit: Extrahendi enim sunt illi dentes, inq; agrum philosophicum pro seminio spargendi, vnde Terrigenæ mox nascentur, qui tamen astu arma, quibus Cadmum pertunt, in se dñe dirigere adducuntur, seq; ipsos civili quasi bello ad unum omnes cädere; Hoc est, quod dicunt Philosophi, si vrām occideris, omnes erunt mortui. Vnum enim elementum attrahit alterum sibi vicinum, tanquam frater fratrem vinculo consanguinitatis, vel ad vitram, vel ad mortem, nempe ad hanca aqua terram, terra ignem, ignis aërem, vel ad illam aër aquam, ignis aërem, ignem terra, in quâ quiescunt omnia.

S A B A.

ENIGMA

88.

*Haberne Cadmia in se principia philosophica?*

S A L O M O N.

Habet; eaq; præ cæteris magis euidentia, qualia sunt Sulphur, & argentum viuum, quæ tamen non sunt vulgaria, sed solis Philosophi cognita, à vulgaribus orta, & separata per magisterium.

S A B A.

ENIGMA

89.

Sed alii tria huius subiecti statuunt principia, velut ē rerum omnium, Sal, Sulphur, & Mercurium; Quid tu ad hæc?

S A L O

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 75  
S A L O M O N.

Sunt sanè, qui ex binario binarium deducunt, & vnum pro alio accipiunt, binarium materia, & unitatem formæ attribuentes, vnde fit Trias compositi ex Monade, vel triangulus ex circulo, idq; aptissime & verè, sed hos alii imitantes sinistrè interpretantur de principiis, quæ propriè bina sunt, nempe materia & forma, seu Mercurius & sulphur. Hæc duo cùm in sale, tanquam tertio, stabiliantur & sustineantur; hinc illorum trium ortus, videlicet corporis, animæ, & spiritus, seu salis, sulphuris & Mercurii. Verùm qui hæc à Philosophis suo modo & allegorico dicta ad alias res transferunt, & singula mineralia, metalla, vegetabilia; aut animalium partes suis imaginariis & stultis distillationibus in sal, sulphur, & Mercurium reducere conantur, simiæ sunt Philosophorum, non rationales discipuli, multò minus Philosophi.

S A B A.

*At hæc opinio adeo vulgata est ab illis, qui chymie canostro æuo tractant, ut Paradoxa, & nihil dicere asti- metur, qui huic quid contrarium statuere præsumat: Caevis igitur, ne irrites crabrones, aut scarabæos at- trahas.*

ENIGMA  
90.

S A L O M O N.

De neutris sum sollicitus, siue illi mel, siue fel querant, hoc in factibus mulorum, illud in fauis apum. Hoc verissimum est, tria hæc principia analogicè accommodari solummodo operi philosophico, & non revera, hoc est, æquiuocè applicari, non vniuocè de eo dici, nec esse sal in eo, nisi, quod ad modum salis à corruptione adiunctâ præseruet, siue liquefiat in aqua & igne, antequam vitrescat, nec sulphur inibi existere, nisi quod calefaciat & exiccat, igneamq; naturam, absque combustionē tamen, repræsentet, nec Mercurium, nisi aquosam humiditatem, liquiditatem in igne, & viscositatem in combustibilem. Quod si saltem figuratè accipientur in hoc magisterio, cui Isaac & alii Philosophi hæc appropriarunt in primis, multò magis tropicè abhinc ad alia corpora, quæ ex iis composita dici possunt, transferuntur. Illorum enim ratiocinatio hæc, vel huic similis videtur:

Si Lapis philosophicus quasi parvus mundus est, & ad imaginem magni illius mundi concinnatus, Hermete teste, atque ex tribus principiis hisce, sale, sulphure & Mercurio constat: necessariò omnes res mundi maioris in principia minoris resoluti poterunt.

At primum verum.

Et secundum igitur.

At falluntur sic ratiocinantes multis modis: I. Quia maior mundus non assimilatur in omnibus minori, licet minor in quibusdam maiori applaudat: Totum enim non à parte capit, aut dirigitur; sed contrà pars à toto. Ad hęc principia dicta similitudinarię lapidi insunt, multò magis similitudinarię per translationem inesse dicentur aliis rebus; quia similitudo à similitudine sumpta non fit realis, sed adhuc magis accidentalis, quam prior, à qua fit desumptio. Hinc patet esse illam opinionem absque ullo veritatis fundamento, quę sal, sulphur, & argentum viuum omnium rerum principia ponit, & saltem à vento persuasionis originem ducere; ideoq; à quolibet vento phantasticorum agitari, & in sublime euehi, non aliam ob causam, nisi quod I P S E dixerit, quise Monarcham non tam fecit, quam dixit, omnibusq; Philosophis anteposuit.

### S A B A.

**ENIGMA**

91.

*Quid tu de Medicina Reformata, seu Noua, statuis,  
quæ nuper prodiit, & omnia corporis humani continentia  
& contenta, hoc est, partes homogeneas & heterogeneas,  
humores & spiritus reducit in sal, sulphur, & Mercurium  
cremosum, sublimatum, & præcipitatum; Deinde omnes  
morbos & remedia ex iisdem petit?*

### S A L O M O N.

Hęc somniis sunt similia, in quibus sæpenumero se quis Regem diffissimum facit, nullo contradicente, aut dictatorem omnium, vnde resuscitatus, fortè vilissimum ex plebe agnoscit. Tanta est differentia inter hominem à phantasiam ductum, & ratione rectum. Quis vñquam absurdiora somnia vidit, aut visa per literas aliis sequenda, & pro oraculis amplectenda diuulgauit? Verūm hęc Saturnus iudicet, & absu-

mat,

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 77

mat, qui vulgo Tempus habetur: nos alibi, vbi de Vulcaniâ progenie, de his similibus acturi sumus.

S A B A.

Phaëtontes igitur illos & Icaros ad summa efferos non ENIGMA  
moraris, at verè dictum putas cuilibet: Medio tutissi- 92.  
mus ib.s?

S A L O M O N.

Addictus equidem vt nolim pecuino more alterius nutui, quamvis diutissimè recepto sine ratione, sic nec recentiori opinioni, nondum satis concoctæ aut maturæ, sed præcocis ingenii subrepenti herbae, absque flore & fruge luxurianti, absque euidentibus causis astipulari velim. Qui enim alios increpant, quòd sint Hippocratis, Galenî, aut alterius antiquissimorum sequaces; mallent sanè, vt sua dogmata illorum neglectis, sola haberentur in pretio. At suadent hæc; non tamen persuadent. Expectent tām diu illi neoterici, Principia noua & Medicinam secundum ea reformatam producentes, suaq; mundo obtrudentes, quām veteres isti expectârunt, & tum posteris de horum doctrinâ, vt nunc de illorum, iudicium erit defœcatius & syncerius. De meritis & recentibus vinis comparatio cum vetustis, bimis vel trimis facta, non semper verax, aut infallibilis: Omnibus enim rebus inculcatum videtur illud: *Nescis, quid seru resper vehat.* Quod si nouare antiqua, & antiquare noua, est docere veritatem, hæc erit Protheo mutabilior, & omnium imaginationi exposita, hoc est, instabilis, incerta, nunquam & nullibi inueniendâ ratione, nisi vbi sensus corpori eam comprehendant, quod neutiquam statuendum erit.

S A B A.

Quodnam censes tempore prius ex his principiis?

ENIGMA

S A L O M O N.

Neutrū altero prius aut posterius est, si de genere seu essentiâ illorum fiat quæstio, cùm non detur materia absque suâ formâ, nec forma absque materiâ. At si de specie subiecti præsentis, tum materia communis antecessit formam determinatam. Ut enim chylus in stomacho existens, in hepate fit chymus, in materia eâdem, at formâ diuersâ: sic materiâ manente in subiecto philosophico, alia forma, eaq;

K 3 nobis

nobilior, introducitur. Nec verè in elementa simplicia semen quod-uis, ex quo generatio fieri debeat noua, opus est resoluti, aut retro texi: sed saltem elementata, quæ formæ præexistentis nobilitationem, non omnimodam corruptionem, & nouæ introductionem, admittunt ex priuilegio Naturæ.

S A B A.

**AENIGMA**

94.

*Quod est nobilis ex principiis?*

S A L O M O N .

In generatione muli ex asino & equa, nobilior videtur materia, quam forma; ac in generatione auri & lapidis Philosophici contrario modo se res habet: Hic enim forma potentiam, pulchritudinem, constantiam, & dotes omnes ferè confert, ideoq; nobilior est, materiaq; saltem cella & commune receptaculum eius habetur: Vnde Rosarius: Oportet, inquit, ut habeamus receptaculum nostra tinctura idoneum, quod est sibi consonans cum quadam similitudine ad patrem: Et mox: Mulier est quoddam receptaculum virilis semenis; quia ipsa conseruat in suis cellulis & matrice, & ibi nutritur, & pullulat, usq; ad tempus maturitatis. Nam vt Sol Lunæ dat lumen & vigorem, ideoq; illà nobilior existit; ita in Philosophia nostra: Hinc Hermes ibidem: Luna est lucerna noctis, nox est nativitas tenebrarum, quam Deus creauit pro mundo regendo: Luna autem à Sole lumen recipit, & est dilecta, eò quod Solis lumen in ea est, ideo quod Solis natura Luna naturam superat. Hæc ille.

S A B A.

**AENIGMA**

95.

*Sed argentum vinum, quod est materia operis, unde habetur?*

S A L O M O N .

Philosophi adeò directè viam quærentibus absque labore ad veritatem curtendi, directè respondent, Gebro authore, quod ex iis, in quibus est, corporibus haberi possit; Et non solum ex corporibus, sed & spiritibus. Sic de eo Rosarius: Sed consulo, quod hoc opus ab imperfectis lapidibus inchoës: Hoc enim fuit de principali & occulto ipsius Gebri intellectu: Sic habes in capitulo decimo septimo, quod natura Mercurij est ita in corporibus,

scimus

## TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 79

ficut est in Mercurio: Imo Mercurius in lapidibus notis est perfectissimus: Item, in cap. 3. dicitur, quod in Marcasita est natura Mercurij mortificati & medio-  
criter preparati, qui melius valet: Et addit: Iste Philosophus in suis operibus so-  
lum vult naturam Mercurij, sed tota Solis natura est ex Mercurio, ut dicitur  
cap. 8.

### S A B A.

Si Mercurius est materia, & omnis Mercurius Mer- ENIGMA  
96.  
curial: mensenti im habeat, adeo ut ex aequo, per tinctu-  
ram, tanquam formam, in aurum migret, cur non vulgaris  
erit materia?

### S A L O M O N.

Non negandum est, Mercurium vulgi esse materiam Philosophis  
utilem, sed post eius præparationem. Ut enim ex crudo corio bubulo  
absque præcedente præparatione non fit calcëus ( nisi fortè barbaro  
Wriorum ad Naruam Liuoniam habitantium modo ) sed bene ex  
præparato; sic nec ex Mercurio crudo Lapis Philosophicus. Præpa-  
ratus illi adminiculo in casu esse poterit. Vulgaris ergo non est, quo  
vtuntur Philosophi, Mercurius; sed eius filius, nempe Hermaphro-  
ditus, ex Venere illinatus, & in duobus montibus habitans, & edu-  
catus.

### S A B A.

Qualis igitur est Mercurius?

ENIGMA

### S A L O M O N.

97.

Saturno tres attribuuntur filii, quos omnes deuorare immittis pa-  
ter voluit; at voracitati eius dolo Iunonis subtracti dicuntur: Eo-  
rum unus aërio cœlo, secundus Aquæ, tertius Terræ tenebrose præ-  
esse, à Poëtis & Philosophis statuitur. Ex his sumendus pro Mercurio,  
cuius vice lapidem vorauit, & euomuit; quia ille aërius est, &  
plus imperii obtinet, quam reliqui, ut testantur eius facta, virginum  
raptus, & potentia. Quod si eius filium quoque sumpseris, siue  
is sit Dionysus, Apollo, Mars, Mercurius, perinde erit: Filius enim  
à patre virtutem & regni hæreditatem promissam obtinet. *Camelus*  
*noster albus*, inquit Rhais in Epistola, *septimus est in numero apud*  
*Phi-*

*Philosophos magnos, Sol cum Luna, Iupiter, Mars, & Venus nostra in Mercurio nostro, & Saturnus septimus eorum, in quo omnes sunt coniuncti simul: Saturnus enim pater est omnium;* At dum alii Planetæ eunt venatum, Basilius in hieroglyphicis suis figuris dicit, Saturnum (instar Cameli) retia portare; quod in primis notandum est. Propria Mercurii philosophici nota fertur, quod adhæret corporibus: Non enim ferrum magneti, nec palea succino calefacto magis accurrit & adhæret, quam Mercurius corporibus, hoc est, consanguineorum Planetarum seu metallorum; Solis, Lunæ, Iouis, Veneris, aut horum filiorum sibi consobrinorum.

Mercurii  
philoso-  
phici nota  
propria  
qua.

S A B A.

ENIGMA

98.

*De Mercurio satis constat: Sed nunc de Sulphure inquirendum erit, quale hoc sit?*

S A L O M O N .

Est agens in materia, subiecti forma, gallinæ gallus, Beiæ Gabritius, mulieris maritus, aut sponsæ sponsus ante commixtionem. Hoc nascitur in locis petroisis, concauis, terrestribus, sublimatum à fæcibus suis per naturam ex parte instar florum tenerimorum eleuatorum in Alembicum per artem.

S A B A.

ENIGMA

99.

*Generatur hoc in montibus?*

S A L O M O N .

Sic est: Nam montes sunt cubilia Naturæ subterraneæ, in quibus tanquam camuratis locis illa fœtus suos excubat & edit vrsino more, primò informes & rudes, quos deinde polit & colit, donec speciosissimi fiant: Sic sulphur montanum est philosophici initium, quod ex eo fit post longam præparationem, coctionem, & maturationem: quodque lingua vrsæ est respectu sui fœtus, id ignis est ratione nostris sulphuris: Illa vtitur arte naturali, suâq; industriâ iuuat naturam, Philosophi naturâ artificiali, ingenioq; suo dirigunt artem, vt naturæ antea existenti subueniat, eius superflua tollat, & deficiencia addat.

S A B A.

ENIGMA

100.

*Ex quo generatur hoc sulphur?*

SALO-

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 81  
SALOMON.

Si de matre sit quæstio, ex ventre Terræ virgineæ; si de patre, ex eo, qui non concubuit, & est ignis non vrens, centrum centri & circulus quadrati, triangulus circuli & fluxus lineaæ seu radix cubi. Hic estradius non sine umbra, piscis non sine aqua, leo non sine sylua, & vipera non sine veneno, ex qua tamen fit theriaca contra venenum. Vilis ei pater est, & plebeius, ut Oedipo Laius, ideoq; viâ illi cedere imperatur; sin minus, occiditur. Et sic parricida filius matrem propriam ducento in vxorem, fit sibi ipsi pater seu viticus, & vxor eius mater sibi filia, nurus, socrus, & auia. Quod tremor in lacte est, pinguedo in oliua, spiritus in vuis, id sulphure est in mineris. Qui separare sciet butyrum, oleum, & spiritum vini ex suis subiectis, quomodo ille ignorabit segregare sulphur philosophicum ex suis substantiis mineralibus. In separatione illa ars & natura utrobique operantur manu mutuâ.

S A B A.

Si sulphur philosophicum cum vino quid commune habet, probandum seu demonstrandum hoc erit secundum ENIGMA  
101. quinque sensus, ut vinum omne bonum dicitur repreäsentat, resuum COSTA.

SALOMON.

Ad intimam artis medullam penetras, quam appetis. Quocirca dicam, ut iubes, & possum. Color sulphuris philosophici ante præparationem subuiridis est, instar coloris pullorum anserinorum; sed post philosophum rubescit eo usque, donec violas & rosas imitetur. Odor, initio sepulphicum chrorum est, in quibus cadanera putrescunt, teste Morieno, unde & quale aqua foetida ab eodem & aliis dicitur, seu spiritus foetens, ut Geber habet; posteā fit tolerabilis, & naturæ humanæ amicus, ut Lullius de suâ Quintâ essentiâ scribit. Sapor in initio incognitus; quippe quem nemō suâ lingua tangere possit; at post gustus eius fit dulcissimus, ut Morienus inquit. Tactus eius mediocris consistentiae est, primò leuis & aërius, denique ponderis grauissimi esse traditur. Hinc Morienus: *Pondus vero illius multum est graue: Et mox: Eius natura aëria est: Agmon in Turba, circa finem, hæc omnia comprehendit, dum inquit: Est ponderosus, solidus; incommodus igne, incommodus aquâ, incommodus vento; sed &*

L leuis-

leuisimus, cauus, spongiosus, commotus igne, commotus aquâ, commotus vento: est salsius, est quoq; suauissimus; est fumiferum venenum, est quoque summa medicina: imberbis est, & est quoque barbatissimus; implanus, non volans, plumis præditus quoq; est, & volans: Et si aquam ipsum dixeris, verum dicis; si aquam negas, non falso negasti: Hæc omnia de sulphure accipi possunt, quod à se differt ipso ante & post præparationem, vt contrarium à suo contrario, aut potentia remota ab actu secundo.

## S A B A.

ENIGMA  
102.

Dic elariis, quid sit sulphur apud Philosophos, & unde extrahatur, an ex spiritibus, an vero corporibus?

## S A L O M O N.

Philosophi duplex sulphur agnoscunt, album & rubrum. De utroque variis in locis sic scribunt, referente Rosario: Quod si fuerit argentinum viuum purum, coagulabit illud vis sulphuris albi non vrentis in argentum: si autem fuerit sulphur rubrum optimum naturæ non vrentis, erit res optima, vt si at ex eo Elixir ad aurum. Tale sulphur est sulphur nostrum, & sapientum, & non reperitur super terram, nisi quod ex illis corporibus extrahitur: Et paulò post: Aucenna: Tale sulphur non reperitur super terram, nisi illud, quod est in corporibus: Ideo corpora illa subtiliter præparentur, vt sulphur habeamus super terram: Nam corpus perfectum per nostrum magisterium uiuat & perficit imperfectum, sine mixtione alicuius rei extraneæ. Idem ex tractatulo probato: Sulphur Philosophorum, inquit, est simplex ignis viuus, uiuificans alia corpora mortua, & maturans ea, ita quod naturæ defectum supplet, cum ipsius sit superflua maturitatis, secundum quod in natura sua sit perfectum, ac per artificium magis ac magis depuratum: Vnde Aucenna: Tale sulphur non reperitur super terram, nisi in quantum existit in istis corporibus, Sole & Luna, & in alio quidem est illud, quod nulli dicitur, nisi ex parte Dei sibi reueletur: In Sole perfectius; quia magis est digestum & decoctum: Philosophi enim subtiliter sunt imaginati, quemodo ex istis corporibus perfectis sulphura illa elicere possent, & ipsorum qualitates per artem purgare, vt hoc haberetur in arte, mediante naturâ, quod in ipsis antea non apparuit, quamvis plenariè & occultè prius haberunt, & hoc nequaquam fieri concedunt sine corporis solutione, & in primam materiam reductione, quod est argen-  
tum viuum, ex quo facta sunt ab initio, & hoc absq; villa permixtione rerum extra-  
nearum, quæ extranea naturæ lapidem nostrum non emendant. Hæc & similia sunt

sunt Philosophorum axiomata, quæ ad finem artis certissimo ductu  
diriguntur, ut pateat, quid sit sulphur eorum, & vnde petitum.

S A B A.

*Ex Luna igitur & Sole ea educere debere afferis?*

ÆNIGMA

103.

S A L O M O N.

Philosophi distinguunt inter Solem communem & philosophi- Vt Sol &  
cum, & inter Lunam, hoc modo: Arnoldus: *In nostro lapide, inquit, sunt Luna, sic*  
*Sol & Luna in virtute & potentia, ac etiam in natura: si hoc non esset, non fieret & aurum*  
*inde Sol, neque Luna; quia Sol & Luna in nostro lapide sunt meliores, quam vul-*  
*gares in ipsorum natura, eo quod Sol & Luna in nostro lapide sunt viui, & vulga-*  
*res sunt mortui, respectu Solis & Luna in nostro lapide. Ideo Philosophi nominaue-*  
*runt ipsum lapidem Solem & Lunam in unicem; quia in ipso sunt potentialiter, &*  
*non visibiliter sed in virtute & in essentia. Hæc Rosarius. Ex quibus appa-*  
ret, quod, si quando Philosophi de auro loquantur, discernendum  
sit, num de suo & philosophico, an de communi intelligivelint. Hinc  
quidam aurum ut arti proprium subiectum statuunt, nempe philosophi-  
cicum, quidam ab arte reiiciunt, videlicet commune. Vtriusque te- Testimo-  
stimonia quam plurima unus habet Rosarius: De communi sic refert: nia de vtro-  
Panis fermentatus & coctus est perfectus in suo statu seu esse, & ad suum ultimum que, & pri-  
finem peruenit, nec ex eo plus poterit fermentari. Sic est in auro. Aurum purum de- mum qui-  
ductum est per examen ignis in corpus firmum & fixum, & cum eo amplius fer- dem de cō-  
mentare, omnino impossibile est apud Philosophos; nisi habeatur materia prima  
metallorum, in qua resoluatur aurum (hoc est, philosophicum) in primam  
materiam, & in elementa miscibilia. Recipiamus ergo illam materiam, vnde erit  
aurum, & mediante artificio deducitur in verum fermentum Philosophorum: Et  
mutemus hoc cum ingenio in materiam perfectam, vel in spiritum corporum per-  
fectorum: Et deinde alias Philosophus: Ex perfecto nihil fieri potest; quo-  
niam rerum species perfecta in sua natura non mutatur, sed potius corruptitur:  
Neq; ex imperfecto penitus secundum artem aliquid fieri potest: Ratio est, quia ars  
primas dispositiones inducere non potest; sed lapis noster est res media inter perfecta  
& imperfecta corpora, & quod natura ipsa incepit, hoc per artem ad perfectionem  
deducitur. Si in ipso Mercurio operari inceperis, ubi natura reliquit imperfec-  
tum, inuenies in eo perfectionem, & gaudebis. Perfectum non alteratur sed cor-  
ruptitur, sed imperfectum bene alteratur: Ergo corruptio unius est generatio al-  
terius. Speculum: Necesse est, quod lapis noster extrahatur de natura duorum

corporum, antequam de eo fiat Elixir completum: Quoniam est necessarium, quod Elixir magis sit depuratum, & digestum, quam aurum & argentum, sed quod ipsum habet conuertere omnino à perfectione diminuta in aurum Philosophorum, vel argentum, quod ipsa minimè perficere possunt: Quia si de perfectione sua alteri darent, ipsa imperfecta manerent, eo quod non possunt tingere, nisi in quantum se extendunt: quoniam nulla res dealbat, nisi secundum suam rubedinem. Et ideo ad hoc sunt opera in lapide nostro, ut melioretur eius tinctura eo plus, quam in sui natura. De Auro verò Philosophico idem auctor hæc adducit: Iohannes de Aquino: Qui auri destructionem ignorat, constructionem eius ex cursu naturæ necessariò habet ignorare: Facilius itaq; est, aurum construere, quam destruere. Et mox: Philosophus: Qui aurum scit destruere, quod amplius non erit aurum, ille ad maximum arcanum peruenit. Alius dicit Philosophus: Difficile est aurum destrui, difficilè construvi: Sed addit: Facilius est destruere accidentale, quam essentiale: Per accidentale autem philosophicum intelligit. Quibus dictis valde ambiguis multi seducti incepérunt aurum esse tantum destruere, combustionē in solo igne, cum salibus calcinationē, solutionē in aquis acrībus, quod cum longis laboribus, non paruis sumptibus perfecerint, inutiles pulueres pro tincturā, & damnum pro lucro inuenērunt.

S A B A.

**ENIGMA**  
104.

*Absque dubio hoc sulphur in corporibus sulphureis  
quærendum, indeq; educendum erit?*

S A L O M O N.

Hoc verissimum est; sed distinguendum sulphur philosophicum à vulgari. Unde cunque extrahatur, à communi combustibili & comburente separatur philosophicum. Satis enim est huic, si virtutem sibi ab illo impressam gerat, ad sui propagationem: quemadmodum sagittæ ab arcu extenso impulsæ sufficit, quo ad metam perueniat, ut semel à neruo vibretur. Sulphur à sulphure, filius à patre, vim accipit; & quod pater antè rudi Minerua præstítit, id sæpenumero filius generosus factis illustrissimis præclarè illustrat.

S A B A.

**ENIGMA**  
105.

*Cur Philosophi adeo vilitatem subiecti eius, unde eos  
rum*

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 85  
rum sulphur educitur, aut lapis conficitur, inculcant, an ita  
est, ut dicunt?

S A L O M O N.

Materia lapidis, quam D. Thomas de Aquino aquam grossam vo-  
cat, vilescit ob putrefactionem aut incensionem in fimo, aut ob co-  
piam ipsius; quia aqua nusquam non est, aut propter fætorem, nigre-  
dinem, ac venenositatem: Pretiosa nihilominus habetur propter vim  
in ea materia latentem, effectum & finem.

S A B A.

*Quid de Jovis filio statuam, Marte, an non ille vilis* ENIGMA  
*est, & sulphur fixum, rubeum in se habet?* 106.

S A L O M O N.

Aries hic Martialis permultos cornu ferire non intermisit, at ca-  
nendum. Est quidem Mars philosophicæ scenæ particeps, sed non sine  
personâ, quam induit, dum fratrem repræsentat. Mercurium Mars  
apud Basilium inclusit carceri, & Solem iterum post longas tribula-  
tiones emisit. Vilitatem in reiectamento seu scoria ferri agnoscimus,  
at nec copiam argenti viui, nec sulphur, verum in eo offendimus. Ha-  
bet sulphur fixum in se, sed quod liquefieri nequeat, nisi ad vitrum  
igne intensissimo, ideoq; inutile sit Philosopho.

S A B A.

*Si vilius adhuc Marte id sit, an non sulphur philosophi-* ENIGMA  
*cum latet in silice, aut lapillis albis, quibus ipsum ferrum in* 107.  
*chalybem figitur, unde Marte fixius eorum sulphur vi-*  
*detur?*

S A L O M O N.

De hac opinione quorundam phantasmatæ extant, quæ adeò sunt  
à veritate aliena, ut nihil cum ea cōmune habeant. Vilitas est quidem  
in hoc subiecto, sed quia nil Mercurii in se habeat, quo solo tota res  
perficitur, ab arte reiectum est. Sulphur quoque olet filex, sed vul-  
gare, quod Philosophia non admittit. Rusticus hic est crassusq; sen-  
sus, potius Melibœi alicuius, cui in nudâ silice peperit ouicula, quam

Philosophi, quasi ille ex silice natum sulphur ad tincturam pretiosissimam complendam usurpet: Extra mineralia, quæ Mercurio participant, non est quærenda metallis salus, nec lapidi subiectum. Vile hoc est, sed non ut cerdo, aut res nauci; verum ut Rex extra suum regnum absque ornatu, & res opinione hominum nihili aestimata, & non satis agnita, licet per se pretiosissima.

## S A B A.

**ENIGMA**  
108.

*Filio itaq; missō, quærimus, an non sulphur philosophis  
cum sit in patre, nempe loue?*

## S A L O M O N .

Nec id negandum: cum Poëtæ antiqui & Philosophi, Ioui dent imperium, præ cæteris Diis, in hæc mortalia. Sic Iupiter est, qui regnat in hoc opere, nunc raptor, nunc adulter, nunc incestuosus, qualis describitur: Sulphur enim, ut virile seu masculum, absq; fœmineo Mercurio seu sexu paciente, otiosum & sterile est, nec quicquam boni gignit, sed cum eo coniunctum, & mixtum, artis beneficio fœcundum redditut. Hinc tot pellices Ioui asscribuntur, totq; ex iis nati filii, imò matrimonium cum propriâ sorore, Iunone; Ortu Palladis ex capite, & maturatio Dionysi in femore; nec non alia, quæ hoc spectant. Verum hoc notandum, licet Iupiter apud Deos sit maximus & potens, apud Poëtas decantatus, apud Philosophos celebris, inter Planetas benignus & regius; tamen inter metalla existat vilioris pretii, authoritatis, famæ, & utilitatis. Ut enim stridet inter dentes, sive euaporat in igne, abit in fæces, & denique vitrum, quod à tinctura alienum est. Aurum & Mercurio quidem amicatur propter humiditatem suam, qua illis miscetur facile, & adhaeret; sed non in profundo naturæ vnitur. Metallum est leuissimi ponderis, & Mercurii leuiter compacti, spumosi, & porosi. Hinc cautè tractandum erit, ne terra inutilis fiat.

## S A B A.

**ENIGMA**  
109.

*Quid de Deorum auro, Saturno, sentiendum erit? An  
ne hic penes se habet sulphur philosophicum, quod ab eo,  
veluti virilia, amputandum & segregandum sit?*

S A L O -

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 87  
SALOMON.

Innumeri indies ad ostium huius senis contendunt, sperantes aliquid lucri aut solatii se apud illum inuenturos; at plerumque absque re, raro cum spe dimituntur. Quamuis enim Examinator sit omnium metallorum pater, & docilis ingenii, magni ponderis argentum vivum habens in copiâ; tamen avarus & tenax diuitiarum possessor agnoscitur, qui ne tantillum petenti communicet. Idem namq; est, possessor opibus nunquam vti, & iis, si absint, nunquam egere: Nulli ille dat, nisi diuitibus, à quibus duplum recipere non dubitat, suo intentus lucro, non communib; bono. Largitur manipulos, ut horrea lucretur. Habet in se cor, quo viuit ipse, quo sulphur philosophicum gaudet, hoc est, granum feminii perfecti, at totum corpus est leprosum, egetq; ipse prius medicinâ efficaci, antequam aliis medicari possit.

SABA.

Saturni mentionem ferè singulis paginis apud Philosophos ENIGMA  
phos sibi, vel tyrones animaduertunt: Quorsum igitur no.  
hac, si non est requisitum philosophicum?

SALOMON.

Requisitum quidem est, at non vnum Philosophorum subiectum, niti allegoricè. Radix est metallica, terra nigra, immunda, imperfecta, caput corui, aqua viscosa, in qua coquantur reliqua metalla, sed philosophica in tām immunda balnea intrare deditantur, ne magis maculentur, quām purgentur à fæcibus. Saturnus apud Philosophos putrefactio, tenebræ, nubes obscura & nigredo est, seu eclipsis luminum, Solis & Lunæ. Planetarum summus, metallorum imus est, in cœlo ultimus, in opere primus, cūm ouum philosophicum inuersum mundi non iniuria vocetur: nam quod in mundo est primum, in ouo eorum ultimum, & vice versa, habetur.

SABA.

An non cum Saturno aperiuntur portæ scientiarum, ENIGMA  
qui septimus est in ordine, ut habet Epistola Rhasis? III.

SALO-

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICA  
S A L O M O N.

Verum hoc est, quia Saturnus Ianus est, ianuæq; Philosophorum atri præfectus, ille aperit, & claudit, & gerit clauem, non ad annum aperiendum, sed arcam secretorum philosophicam referandam & claudendam, sine qua nemo eam aperire poterit, etiam si Vulcani violentiam imploret, quæ plus destruit, quam componit. Aqua hæc est fortis, & vorans liberos suos, quos genuit; at Lapidem pro Ioue reuomens, monumentum hominibus in Helicone positum. Acetum hoc est acerrimum, quod fecit aurum merum spiritum. Quid multis? Saturnus ab hoc opere nunquam abesse debet, aut potest, licet sit squalidus, deformis, niger, & loripes: Corporis enim damna ingenii rotibus recompensat senex.

S A B A.

**ENIGMA**

112.

*Iam video, quòd ad Venerem, Suavitatis Deam, digistum animumq; intendas, quæ & rubea & quasi fixa est?*

S A L O M O N.

In hoc opere cùm omnes Dii Deæque, tanquam in nuptiis Pelei & Thetidos, hoc est, Planetæ minoris mundi conueniant, nulla est causa, cur Venus, Dearū pulcerima, & cui in iisdē nuptiis pomū aureum assignatū fuit, tanquā pulchritudinis insigne & brabeion, sola abesset. Hæc est Hesperus in Occasu, & Lucifer in Ortu Solis, ipsi indiuiduus præambulo, vel pedissequa existens: Venus tinxit rosas albas suo cruento in rubeas, quā cum Sole concubente Rhodos vidit auream pluuiam. Quid de Venere Basilius sparsim scribat, videatur suo loco, quemadmodum & sub Veneris genealogia in Hieroglyphicis Ægyptio-Græcis, lib. 3. quod h̄c video non repetimus.

S A B A.

**ENIGMA**

113.

*Venus an prosulphure, an verò argento viuo accipitur?*

S A L O M O N.

Pro vtroque, diuerso respectu: Si cum mare iungitur, fœminæ vicem obit, ut apud Martem, Mercurium, Apollinem, Adonim; si cum fœminis, maris. Apellæ manu dignum opus dicitur, Venerem ex mari Cyprio emergentem pinxit; re ipsa verò expreßisse, & manuali tractatione perfecisse, hoc erit artificis in magno magisterio. Ex Saturni virili-

## TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 89

virilibus in mare abiectis coaluit Aphrodyte tantâ pulchritudine, ut reliquas Deas omnes ante cellat. Sunt autem virilia nihil aliud, nisi generationis membra, hoc est, sulphur comburens, argento viuo in specie fumi, admixtum, primum agens ad generandum fœtum philosophicum. Hoc dum segregatur seu amputatur, cessat quidem augmentatione naturalis grani perfecti, & omnis generatio; at ex eo sulphur philosophicum editur, quod in argenti viu per amplio mari coalescit, & dicitur nostra *Venus*, seu *Chrysocorallum*.

S A B A.

*Quid Venus cum Marte habet commercii?*

ENIGMA

114.

S A L O M O N.

Quod Beia cum Gabritio: Illa enim fœmina; hic vir est. Vtriusque proles Harmonia, Cadmi vxor.

S A B A.

*In Cadmo meæ quæstionis initium ut fuit; sic nunc in uxore eiusdem, Veneris filia, subsistit.*

ENIGMA

115.

H Y R A M V S.

Magnum disquisitionis philosophicæ campum ingressi sumus, cùm de Terræ fossilibus sermo sit. Hæc enim in silentiis tenebris cùm generetur, ante mille annos forte concepta, ab astrorumq; influentiâ informata, varias de se se opinione admittunt. Nec verò omnés sumus Lyncei, vt sedentes in montium iugis penetremus acie oculorum ad intima metallorum cubilia, & contemplemur eorum matrimonia, concubitus, ortus, agmen, & decrementa: Et vt oculi & ingenium ad hanc Theoriam sufficerent; non tamen ætas & temporis mora, correspondenter tā diutinæ contemplationi: Quis enim nostrū metallā vidit, & in cunis ( vt ita loquar ) & in Regum coronis, hoc est, incipientia misceri, crescere per augmentationem grani perfecti, & coagulari tota in aurum? Magnificentiam auri animaduertimus iam perfecti & fulgentis, sed humilitatem & vilem eius originem non perpendicularis. Agathocles in formâ figuli obscurus mansisset in Regis Siculi omnia suo innotuit. Ita plumbum quis admiratur, & aurum quis non appetit? Sed hic querendum, quomodo hoc ex illo

ENIGMA

M

genes

116.

generetur per naturam, & per consequens possibile sit, ut  
per artem plumbum in aurum promoueatur?

## S A L O M O N.

Postquam, ut dictum, duo illi fumi, sulphureus & Mercurialis, se  
inuicem in subterraneis claustris & venis complexi sunt, frigiditate  
superueniente coagulantur in substantiam unam, densam, & tactui  
resistentem, mineram dictam; Exempli gratia, Saturninam, quæ, si  
mox eruat, & ad usum hominum applicetur, ignibus administratis  
conuentientibus, in plumbum elaboratur: hoc metallum prima est  
ianua ad Æsculapium nostrum. Inueniuntur enim in eo Lunæ no-  
turni radii, siue maiores, seu minores. Nam cum Luna sit humorum  
domina, motrix & auxtrix, hinc in materiam adhuc frigidam & humi-  
dam qualitatibus, aquosam videlicet, dominatur, eiq; radios suos ini-  
primit. Cum vero Luna omne lumen a Sole recipiat mutuo, inde radii  
Solares in Lunaribus semper occultantur, licet non semper ad oculum  
manifesti. In Luna plena illi sunt magis obuii & cudentes, quam in  
corniculata. Quod enim perfectior & maturior plumbaginis vena oc-  
currat, eò plus argenti abscondit: & quod argentum in minera sit di-  
tius seu finius, eò plus auri, &c.

## H Y R A M V S.

ENIGMA

117.

Apollo itaq; ex Diana, & hac ex Saturno oritur?

## S A L O M O N.

Sol & Luna, prout vulgo capiuntur, vice metallorum, hac serie  
plerumque nascuntur, sed Apollo philosophicus longè ab eo differt,  
ut & Diana à Luna, & Saturnus à plumbo. In ortu Diana philosophi-  
ca, Saturnus ut obstetricis munus obeat, adsciscitur; in Apollinis Dia-  
na: Latona autem virtusq; mater est.

## H Y R A M V S.

ENIGMA

118.

Plus itaq; gratia & amoris senex nepotibus exhibet,  
quam filii, quos deuorare voluit?

## S A L O M O N.

Sic est; quia amor recentior pellit vetustum, & annus in nepotem

RON

### TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 91

non raro magis inclinar, quam pater in filium: Rustico quoque auo, pannis annisq; obsoito est, volupe est, videre regem inter nepotes, aut neptem reginam. Hinc Saturnus in philosophico Planetarum ortu, Diana & Apollinis, prœmus, condus est, tutor & gubernator rerum & possessionum omnium ad hosce nepotes suos spectantium, donec ipsi adolescent, & minorenitatis annos excedant.

### HYRAMVS.

*Quod si senex cum filia sua, hoc est, Saturnus cum Venere collocetur in uno thalamo, an non inde generatio speranda esset?* ENIGMA 119.

### SALOMON.

Senibus frigidioribus loco remedii est à calidiore puella foueri, & hinc thorax haud sterilis subsequi solet; quod intelligendum tamen est de senibus crudis, bene sensatis, non capularibus, silicerniis, qui unum, ut dici solet, pedem in cymba Charontis habent, & decrepitæ etatis censemur. Hi enim sunt facultate generandi priuati, seminis infœundi & complexus irriti; quibus & Saturnum, annis saturatum, annumeramus. Vnde Venus, quantumuis fœcunda, ipsi nihil proderit: In masculo enim spermate nisi vis agendi prima adfuerit, inane est, & hospitium absque hospite, sive campana absq; pistillo.

### HYRAMVS.

*Qui fit, quod mater mortalis a filio immortali in utero eius existente a morte non vindicetur in vitam, hoc est, Saturnus a Diana iuuentutire restituatur, aut Sole?* ENIGMA 120.

### SALOMON.

Delicta, debita, & morbos parentum, in primis matris, ille, qui in utero est morbo conceptus, & concretus, atque hinc morbis obnoxius, tollere non potest, nisi prius ab istis maculis sit liberatus omnino, & in sublimiore puritatis statum euectus: Ita Sol in utero Saturni existens, nihil illi perfectionis, quam ipse nō habet, concedere potest:

At si ex Saturno nepos, tanquam Hercules quidam, prodierit, ille erit monstricida, morbis fugus; Alexicacos, & ferarum domitor. De filiis, qui omni suæ parentelæ, proavis & familiæ præluxerint, innumera habemus exempla, non autem de recens natis, aut adhuc in matrice contentis. Quid enim præstaret, qui ut planta viuit, nec nouit se vine-re, aut sentire, & in ancipiti versatnr discrimine, an mundo sensibili vñquam vñfurus sit, hoc est, sensibus in hoc mundo? Quid auxiliū sup-peteret, qui in omnibus alterius auxilio indiget, quid roboris, qui ni-hil roboris, plurimum imbecillatis, obtinet?

## HYRAMVS.

ENIGMA

121.

*Quid si Saturnus Marti copuletur?*

SALOMON.

Infrugifera & hæc est copulatio, quia masculi non generant cum masculis, nec fœminæ cum fœminis, sed hæc cum illis, intra latitudinem tamen ætatis & sanitatis vtriusque: Nec verò illi duo miscentur, nisi artificio & blanditiis, atque hoc in vanum: Nullus ibi amor, nullus nexus naturalis, nulla vasa conceptionis aut generationis, nullum semen; nullus itaque fructus aut fœtus sperandus. De vtroque Author Auroraë consurg. c.1. ex Aristotele ad Alexandrum: *Quia, inquit, omne carens lumine de numero vegetabilium, à Saturno regitur, & ei attribui-tur; Et quicquid vegetabilium est floridum, non serens fructum, Marti attribui-tur, & per ipsum regitur.* Ut itaque nullus fructus à Marte & Saturno philosophicis expectandus est, ita multò minus à non philosophicis, nempe plumbō & ferro vulgaribus.

## HYRAMVS.

ENIGMA

122.

*Quæ causa est, cur non coëant in unam substantiam mediocris liquefactionis, temperamenti, & essentia aqua-teræ, hæc duo corpora, nimis dura, sicca, & calida, nec non nimis fluida, humida, & frigida?*

SALOMON.

In Marte est sulphur nimis coctum, impurum & terrestre, multum paucum verò argentum viuum, itidem terreum & impurum, minus coctum, seu adhuc immaturum, & non æquatum: In Saturno simili-

ter

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 93

ter terrestreitas nimia, impuritas, & immaturitas adest, tām sulphuri, quām argento viuo: Vter itaque alteri subueniet, & scorias detrahet, impuritatem originalem absterget? Non cum aquis impuris pura lintealauando reddimus, sed magis sordida. Non fœtidis fœtorem propellimus, sed augemus. Inde nec Mars Saturno, nec Saturnus Marti opem ferre poterit, nisi prius à quodam tertio in digniorem puritatis gradum exalentur & sublimentur, ut alios inferiores, vel sui generis quoscunque ad se attrahant, & transferant.

H Y R A M V S.

*Quid de Ioue & Marte statuis, vīpote patre & filio?* ENIGMA  
123.  
SALOMON.

In cœlo, vt Planetæ, situ propinquiore gaudent; at non ita sub terra in fodiinis, multò minus in focis philosophicis. Cerus enim in Turba ait, dictum esse absque inuidiâ, quod nulla sit propinquitas inter stannum & argentum viuum, & quod ferrum habeat magnetem attractivum sui; ex verò Philosophorum, aquam permanentem; quorum neutrum cùm sit ferrum, aut stannum, ideo coniunguntur frustrâ, quia commisceri renuant, tantum abest, quod vniuersit inter se per minima, à se inuicem purgentur, & perficiantur.

H Y R A M V S.

*In Ioue & Venere, tanquam in tutia, an tinctura perso  
fectio latet?* ENIGMA  
124.

SALOMON.

Philosophi multa verba faciunt de ære, Latona, tutia; sed philosophicè intelligi volunt. Æs enim vulgi non est eorum; nec Latona communis, mater Dianæ & Apollinis. Rosarius, Elixir, inquit, quod se cum corpore miscet, est quasi tutia cum cupro: sed augmentatur, vel crescit cuprum de illa tutia, cuius ratio est, quia tutia res terrenalis est, Elixir autem spiritualis, & reuertitur natura sui generis ad aliud genus: At dicit Philosophus: Est quasi tutia: quasi autem esse, & simpliciter esse, longè inter se differunt: Iupiter multas pellices sequutus dicitur, sed vni pepertit Veneri, quamvis hic & ille toto distent genere, nempe commune stannum & philosophicum, vt & Venus. Quod si Venus & Iupiter, vt decent, præparati forent, quis scit, an non hic inter Deos, illa inter Deas, sit maximæ au-

» thoritatis? Præparatio rite facta ex inconuenientibus impuris & in-  
» habilibus efficit conuenientia, pura & habilia ad opus.

## HYRAMVS.

ÆNIGMA      Multo minus Saturnum & Iouem, inter se miscendos,  
125.      admittes, ob causas antè dictas?

## SALOMON.

Rectè coniicis: In opere philosophico & cœlo magni mundi Sa-  
turno Iupiter proximus est; at propterea subiectum physicum non  
componunt mutuâ sui mixtrâ. Sed quod in natura locum non inue-  
niat, ex iis mixtis resultat, nechoc, nec illud, sed vtrumque, veluti  
crama.

## HYRAMVS.

ÆNIGMA      Quid si fermentum ex nobiliōri genere iam dictis, binis  
126.      inter se mixtis, adiiciatur, an non fermentum fermentatum  
in sui naturam trahit, & conuertit?

## SALOMON.

Fermenti vis potens est in agendo in fermentum; at respiciendum  
est ad agens & patiens, an satis conueniant inter se, aliàs fermentatio  
neutri quicquam proderit: Tritici massa à sibi simili acida redditur, &  
utiliter fermentatur, non ab aliena, aut diuersa; sic metallica mixtura  
à metallo, vilior à perfectiore, frigidior à calidiore vim sese propagan-  
di & maturandi recipit.

## HYRAMVS.

ÆNIGMA      Cum Philosophi, inter quos Geber, dicant expresse,  
127.      magisterium fieri ex corporibus & spiritibus, præter cor-  
pora iam dicta & spiritu opus est; Cum vero abnegent  
Mercurium vulgi, Antimonium tamen recusare ne-  
queunt: Huic enim non frustra currum triumphalem ato  
tris

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 95  
tribuunt, & in medicina corporis humani primas: Quæ  
tua est, Rex Serenissime, de hisce sententia?

### SALOMON.

Hic est ille spiritus, qui plurima arcana in sua natura abscondit, & cuius dotes omnes nemo hominum simul & semel comprehendere valeat, ut nec Architectus circuli, veluti Basilius testatur. Illud, tanquam Africa, semper aliquid noui artificibus gignit, flores, aquas, olea, salia, balsama, crocos, tincturas volatiles, vitra, & innumera alia; quæ tamen aliquid violenti & venenosæ non raro sub pallio præparationis, ut anguem sub herba, tegunt, & pro medicina salutari mortali bus ingerunt. Mercurius est, & alas in promptu habet, ut ne tantillum iniuriarum à Vulcano vel Prometheo pati dignetur, quin semper paratus sit ad fugam, ut aquila ad volatum. Huic qui comburere pennas illæso eius corpore nouerit, habebit spiritum ad multa utilissimum, de quibus vulgo nihil ebuccinandum erit. Verum Capricornus est, vide ne insultet tuæ faciei, teq; supinum in terra prosterat. Multis nocuit suis præacutis cornibus, paucis profuit, nisi fortunatis. Est terra volans peræra, & ær terrestris, est aqua sicca & puluerulenta, & puluis humidus: Penetrat quidem ad intima, sed furax est, ut Mercuriale genus eius hinc quoque agnoscas: Apollini boves, Vulcano instrumenta fabilia, Cupidini arcum, Veneri peplum furatus traditur. Serpens est, qui mittit suas exuvias, volucris, quæ nidum. Sed etiam si mille encomiis prædicetur ille, tu vide, cui fidas; ne cerdonem pro Rege amiso matri suæ Reginæ domum reducas, cum pudore ablegandum. Habent artifices quoque suum Antimonium, à vulgari distans, quamvis regulum stellatum Martialem huius non reiulant, sed ad plurima usurpent.

### HYRAMVS.

Antimonii signaculum seu character mundus est cirs  
cularis cruce superposita, idq; non iniuria; quia mundo toti  
addit crucem & vexationes, non uni saltē homini: Vno  
uersalis

ENIGMA

128.

*uersalis crux est Chymicorum, sub qua multi succumbunt  
& emoriuntur ob difficultatem: Reuiciatur itaq; extra ar-  
tis pomæria: An non verè sic iudico?*

## S A L O M O N.

Non opinor. Ononis herba est aculeata, Resta bouis, vel Mora aratri dicta, quia in agris multum molestiae agricolis crevit: an propterea tota extirpanda erit? Neutquam; quia in mundo ornatum auget, & homini salutaris est ad pellendos lapillos ex renibus & vesica. Ita & de Antimonio cogitandum erit. Est multis remora, damno & causa inanum laborum; sed nihilominus habet suam utilitatem, & vim manifestam in multis morbis, lapide, leprâ, aurigine, & similibus: Maneat itaque in officina Chymicorum, ut tanquam sapo eorum manus & faciem, sic illud, ingenium & mentem purget & clarificet, quo videant antea non visa, & intelligent antea non intellecta. Illotis manibus licet attingere illis carbones, sed non arcana impurâ animâ & illortâ conscientiâ. Antimonium, ut aurum, sic illos februerit. Rhodo hoc simile est, seu Roseto; neutrum absque spinis, molestiis, & cautelis utilitatem præbet. Hæc est herba, seu Saturnus de Canalibus, qua lapis Basiliano fratri eiicitur, & sanitas reducitur post infinita experimenta frustrâ adhibita. Non tamen sum author cuiquam, ut in vulgari illo fœculento semimetallo tempus & opes perdat.

## H Y R A M V S.

ÆNIGMA

129.

*Quod si Capricornus iam dictus in Veneris hortum ex-  
ponatur, ut lucente Sole rosas ibigustet, mirum videbitur,  
quantus purpurearum rosarum prouenius sequatur, aut ex  
fimo aut calore dicti animalis, an hoc pro nihilo reputa-  
bitur?*

## S A L O M O N.

Scitum est, qd Venus Capricorno coronam purpuream impo-  
nat, verum cum ipse petulcus flores de pascat eius horti, excluditur, &  
nil praeter vnius diei pulchritudinem & fastum illi relinquitur: Venus,  
benignissima est Dearum, sed Capricornus ei aduersus, benignitate  
eius

### TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 97

eius frui nequit; exceptis paucis flosculis; Siverò Capricornus cornibus & dentibus priuari posset, facile in hortum Hesperidum admittetur præ alii.

### HYRAMVS.

Quod si Caper hic Marti occurrat, cui proprius addiz ENIGMA  
130.  
catur Aries, an non hinc stellæ in Erichthonio exorta, ro-  
bur à Marte, fixitatem & colorem acquireret, seseq; Res-  
gis philosophici genethliacam demonstraret?

### SALOMON.

Hæc Martialis stella in Erichthonio accommodè sita est, nempe in  
brachio filii Vulcanii præpostero modo nati, serpentinisq; pedibus  
repentis, de quo aliâs. Vulcanus enim præter Brochea omnibus ridicu-  
lo habitum, & hunc genuit. Cum Marte hic Cygnus quasi inuul-  
nerabilis pugnans, solo fulmine Iouis ab eo dicitur, hoc est, Vulca-  
ni armis & telis, Ioui fabricatis: Pythagoras Cygni animam immor-  
talem dixit, quia imminente morte dulcissime canat; At in hoc fallit-  
ur. Apollini quidem ob id sacer habetur; at quia sàpè perdat oua,  
quibus incubat, parum utilitatis præstat. Huic ille fumus albus non  
absimilis est.

### HYRAMVS.

Sed imperfectis relictis, an non in Sole, Luna, & Mercurio ENIGMA  
131.  
curio quid veritatis inest?

### SALOMON.

Tute scis, Princeps prudentissime, quod materia Lapidis philoso-  
phici non existat in varietate serum, & si in vno subiecto (quod forte  
nominasti) insit, non poterit esse in illi contrario: at inest illi, quod  
habilitatem habet, ad tinturam recipiendam. Tale est, quod in via  
perfectionis adhuc ambulat, nec ad eam peruenit per naturam; vbi  
perfectissima & imperfectissima corpora excluduntur. Quid autem  
perfectius auro, quid imperfectius Mercurio vulgi? Ergo hæc duo in  
censem non veniunt, nisi forte per accidens. De Luna quis dubitare  
possit, sed immerito. Omne enim, quod perficitur, Lunarem humidi-  
tatem superfluam ante operationem habet, post deponit. Ipsa est, quæ  
N. crescit,

crescit, cornua sumit, & amittit, aut potius ab eius influentia, herba Lunaria dicta: Ille est noster ignis ianaturalis, qui à naturali, vt cœcus à vidente, duci debet, eò quo via artis postulat. His adiungendus est & aliis, ignis præter naturam vocatus, & Trias ignita erit absoluta.

## HYRAMVS.

ANIGMA.

132.

*Lunæ motus intermedius inter Saturnum & Solem in sphæra subterranea obseruitur apud naturam; Hinc forte & apud artem præsupponitur eiusmodi?*

## SALOMON.

Argentum nostrum est aurum nostrum, & aurum nostrum est sulphur nostrum, & æs est Mercurias noster, terra alba foliata, in quam seminandum est nostrum aurum, vt multiplicem fructum ferat agricultor suo: Luna philosophica autem non est argentum commune, sed vegetat, vt planta, viavitque, cum vulgare sit mortuum, & non absque fœdis maculis. Mercurius philosophicus virgo est, quia nec ignem, nec maritum tetigit. Est enim res, quam ignis non tetigit, vt inquit Plato apud Rosarium, à qua noster Mercurius surgit. Est Beia, & Albita, ex loco putrido extraeta & cuecta in eam pulchritudinem, vt omnibus sit admirationi. Velut caput enim Medusa in lapides omnes ubi contrarium conuertit, & stupore opprimat.

## HYRAMVS.

ANIGMA.

133.

*Quid utilitatis est in Mercuriis extractis ex corporibus tam perfectis, quam imperfectis?*

## SALOMON.

Multa simul complectentis, quorum quædam bona, non patua mala. Mercurios enim ex suis corporibus extractos non reliicimus; sed pro modo extractionis & dignitatis ipsorum corporum, vnde petuntur, censemus, sine quibus ars absolu non poterit: Alij Mercurij sunt molles & fœminei, alijs duri, reistantes, & masculi, quidam currentes, quidam coagulati in formâ puluerum. Ex his eligendi optimi, boni ingenii & indolis, sanæ constitutionis, ab omni heterogeneitate purgatiissimi, quibus maritus ex alio monte Hermaphroditus inuestigandus &

## TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 99

dus & coniungendus erit: Rebis intelligo, quod nascitur in duobus montibus Parnassi, exiguâ valle intermedia.

## HYRAMVS.

*An non extrahitur Mercurius cum Mercurio & ENIGMA aquaforti?* 134.

## SALOMON.

Sic sanè: Vnus enim Mercurius per alium extrahitur, aquâ fortiorumque soluente: Sed in his quis sit cautus, ne laboret, vt stulti, aurum & argentum corrodentes cum aquis acribus, eamq; solutionem vocantes, addendo aliquid Mercurij vulgi, sed vt philosophi; quorum aqua digitos non madefacit, tantum soluens, quantum ipsa coagulatur. Hæc aqua est lapis in capitulis notus post coagulationem, ante, acetum a cærrimum, quod aurum fecit merum spiritum.

## HYRAMVS.

*Mercurius ex Saturno rite extractus an admittit coagulationem sui in aurum?* 135.

## SALOMON.

Saturni Mercurius impurus & luteus est, terrestreitatis multæ particeps, crudus & aquosus, ideoq; satis ponderosus, qui cum tinctura philosophica facile coagulatur, sed absque eo nequaquam, quod ad utilitatem proueniat. Non enim est sulphur fixum & rubrum in Saturno, nec illud fortè fortunâ in eo per coagulationem generari est possibile, sine quo omnis coagulatio eius est frustranei laboris & finis. Non latet erit figulo seu Vulcano hominem formasse ex luto, omnibus suis externis membris expressis, ac deinde igne in lapidem comburere, quasi per ignis calorem ei sensus & motus accedat, sed oportet ei animam rationalem immittere ab extrinsecus. At hoc illi impossibile erit, cum anima rationalis non sit in hominis voluntate; Ergo nec figurus per plasticen hominem viuum producere poterit, nec vulgaris artifex ex Mercurio plumbi aurum, multò minus Tincturam auream.

**ENIGMA**

136.

*Sed aurum cùm sit aquatum in qualitatibus quatuor,  
ac Mercurius plumbi frigidus & humidus, hic non poterit fieri calidus & siccus, hoc est, Tinctura, antequam æquationis æquilibrium, in quo, si cesseret, aurum habebitur, prætergrediatur?*

**SALOMON.**

Sola Natura hâc coagulandi viâ vtitur, & æquandi qualitates in auro; sed ne nimium de humido absunt, longissimo tempore incedit, quod tempus artifex expectare nequit. Neque enim in omnibus ars naturam imitari potest. Hoc certum est, in Mercurium seu communem, seu Saturninum, non posse introduci qualitates siccias & calidas cum essentiali colore rubeo, nisi per tincturæ protectionem. Nemo enim potest in magno mari aquam certæ mensuræ aut ponderis calefacere, alterare, siccare, coagulare, tingere, & in digniorem statum euehere, ne aliam aquam tangat, vel alteret simul, atque ita totum mase calefaciat, siccet, & coloret, quod nunquam perficiet. Sic nec in Mercurio quocunque aliquam partem alterabit calefaciendo, siccando, & colorando in rubëum, & reliquum intactum relinquet. Aut enim totum humidum & frigidum habebit; aut exiccatum in puluerem inutilem; non tinctum, nec tingentem, absque calore impresso, constanti & firme, prout requiritur.

**HYRAMVS.****ENIGMA**

137.

*An non Mercurius vulgi, vel Saturni, vel antimonii, per aurum coagulari poterit, cum tot Chymista huic rei multum tribuant?*

**SALOMON.**

Amalgamare licet aurum cum Mercurio vulgi, vel huic simili, & coquere, donec Mercurius suà humiditate naturali prinetur, & in Turbit (vt vocant) transeat; sed hic nulla est mutatio vel alteratio in naturâ auri, nulla multiplicatio, vel augmentatio auri, vel tinctura; sed saltem exiccatio Mercurii, quæ inutilis est, & compositum perdit, & cor-

### TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 101

& corruptit, non ad digniorem formam euehit. Et si quæ eiusmodi coagulationes leguntur, sunt tamen omnes sophisticæ, & illegitimæ, examinibus debitissimis non correspondentes. Ex Mercurio enim non fit sulphur auri, nisi in vase Hermetis ex ære eiusdem, quod viridis noster Leo est, & lateri in minera, quam si nominarem, inquit Rosarius, insipientes tamen non crederent. Hanc si venditores agnoscerent, non venderent tamen vili pretio, nec Reges permetterent ad quenquam Philosophorum praecantere; Et sic studium philosophicum esset inane, & periret scientia, vt Petrus de Zalento inquit, cum suis fratribus.

### HYRAMVS.

*Quid de tinctoria volatili statuis, an ea figi possit,*

ENIGMA

138.

### SALOMON.

Sunt spiritus antimoniales, qui ex igne aurum ignitum, cui misti sunt, de sumptum superficie tenuis tingunt, & altius colorant: sed si id iterum admoueat igni, tinctoria auolat cum spiritu, & frigefactum aliam de novo assumit. His sunt artis & naturæ lusus, qui nunquam ad perfectionem certam deduci poterunt. Fucus est, qui à Vulcano Soliprætenditur: Aut potius Daphne fugitiva, quæ Apollinis amplexu adeo formidat, ut in vegetabilem naturam, videlicet Lauream, potius transmutari optaret, & obtinuerit, quam virginitate deflorari. Apollo amat hanc Daphnen, sive antimonialem tinctoriam: sed ex nutu Vulcani haec abit in spharam sui regni, aërem, ubi delitescit, incognita. Anima est corporum mortuorum vivificantorum, quæ si auolet, non captatur cum falconibus, ut Arnoldus inquit; At semper meditatur fugam, cum eius motus sursum necessariò hat, quis alteretur, ut deorum versus centrum à superficie contingat, figitur & sistitur fugacissima volucris, & pennas amittit, quibus nimium fidit.

### HYRAMVS.

*Quid oleo antimonii distillati per ascensum in Retorta ex minera post putrefactionem in fimo attribuis?*

ENIGMA  
139.

### SALOMON.

Multum temporis, laboris, sumptus, periculi; at nihil utilitatis aut

N 3

lucti.

lucri. Habet hoc sulphur rubeum, instar oui vitellorum, in se, habet & albumen Mercuriale: suntq; qui dicant, eo sulphure cochlear argenteum immissum colorari & tingi exterius in aureum, sed colorem per ignem abigi. Sed quamvis magna arcana in hoc opere latere possunt, homini incognita; ideoq; id non parvifaciendum sit; tamen cùm ad hanc intentionem non inseruiat, fugiendum erit. Si quis verò illud sulphur inde separare & figere nōrit; suoque argento viuo in debitibus ponderibus coniungere, venenositate omni absumptā; absque dubio habebit rem in medicina, cui vix quicquam compatiari queat. An idēm in aurificio præstet, ab experientia discendum erit.

## HYRAMVS.

**ENIGMA**

**140.** *Anne aquæ gradatiæ & fixatiæ in hoc opere quid præstant, hoc est, an tincturam exalent, figant, aut in argento quid auri reddant ex sua natura?*

## SALOMON.

Esse rudimentum tincturæ in salibus & mineralibus quibusdam, non est dubium; sed hoc ad perfectionem per artis beneficium deducere, omnino est impossibile. In sanguine humano est potentia seminis; quia hoc ex illo fit: sed ex sanguine solo velle fœtum viuum arte educere, naturæ contrarium est. Opus est enim sanguinis alteratione in genitalibus, & spiritus vitalis commixtione; dcinde in vasis debitibus conceptione, gestatione, nutritione, augmentatione, & animatione, antequam inde perfectus nascatur homo. Sic ad tincturam salium, vt vitioli, salis petræ, armoniaci, & mineralium, vt croci Veneris, Martis, sulphuris, antimonii, & similiam, multæ operationes requiruntur, priusquam perfectionem adipiscatur, sine qua est inutilis & vana: Vnde enim in illis color rubëus purissimus? Vnde spiritualitas simul & fixitas? Vnde terreitatis remotio, & claritatis introduc-tio? Vnde radicalis permixtio cum metallis, iisdemq; perpetua & indiuidua adhæsio? Sanè hæc omnia in aquas fixatiuas introducere vel-le, est aquam cibro haurire, & Sisyphi saxum voluere cō, vnde pronus sit lapsus.

HYRA-

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 103

HYRAMVS.

Quid cæmentatio cum pulueribus (eiusdem efficacia) ÆNIGMA  
fixatius utilitatis promittit? 141.

SALOMON.

Si aurum lateat in gremio argenti absconditum, prius dictæ aquæ id inde extubant & euiciunt, & nihil in argento dignunt, cum non sint proprium, naturale agens, sed violentum, & tyrannicum, naturæ aduersum. Sic hi pulueres absument, vel deuorant argentum, & aurum intactum relinquent in ea proportione, qualatuit in argento; & nihil in substantia argenti vel auri immutant, nisi quod unum ab alio separant. Sic ex Rhenensi auro Vngaricum facere, separato argento, est res facilis, & possibilis, sed ita, ut rustica ex lacte segregat, non facit in lacte, butyrum.

HYRAMVS.

Quid arcani est in crocis metallorum?

ÆNIGMA

142.

SALOMON.

Crocus metallorum, si ex vero Ente & principio ortum ducat, est res, quæ artem consummat, ut Democritus apud Flamellum loquitur; at si ex alieno fonte deriuetur, plus musci limosi, quam odorati, secum trahit. Tingit quidem; sed non ingreditur, hoc est, quod finistrâ dat manu, dextrâ recipit. Manet ante ostium Regis, & aulam non intrat, tantum abest, quod Regem Regilla exorrere valeat in tempus. Quis hac Regem induat, in qua nec caput, nec pedes exprimuntur, nec quicquam aliud? Est fabulum absque aqua, & lampas sine oleo; cuius utilitas nulla est. Quid plura? Pulchrum est venenum, non metallorum, sed mortalium, quod de Venere venustisq; dici solet.

HYRAMVS.

Quid respondendum illis, qui tinturam quæsuerunt in omnibus hisce, metallis, spiritibus, Mercuriis, aquis, oleis, salibus, prout dicta sunt, & nihil inuenientes, totam artem damnarunt, ut impossibilem?

ÆNIGMA

143.

SALO-

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
SALOMON.

Quod Geber iisdem obücit, quod sint puerorum instar, qui in angustis adibus conclusi, nil imaginantur de India aut America, sed totum terrarum orbem non amplius patere, quam ipsi oculis viderint, aut umant. Fateor, aliquid forsan viderunt, aut experti sunt, quod non successit; sed non id, quod scire & experiri debuerunt. Sitot sint mineralia & metalla, quot elementa literaria, tum eorum compositio erit tam multiplex, quam literarum; ex quibus infinitæ voces compunctionur a se inuicem differentes. Non mirum itaque, si quis centies mille experimenta per 60. annos aut amplius tentasset, & artem non inuenierit: quia per experimenta eam inueniri non posse dicitant Philosophi; nec per solam ratiocinationem, aut per unam naturæ contemplationem, nec per dicta authorum solummodo, eorumque consonantiam: sed per haec omnia simul Diuino annuente Numine. Vnde non sequitur,

*Multa expertus est, & nihil certi nouit:*

Ergo nihil veritatis est in arte:

Nam ars testa est sub allegoriis, veluti nux vel amygdalum in suo corice, & testudo in sua testa. Ad interiora eius adyta lustranda cuius suis est laborare; at peruenire unius ex milibus.

HYRAMVS.

Sat a me dictum nunc opinor; Tu sigitur sententiis acquiscimus, sed ita, ut has questionum vices soluendarum lubentes subeamus, a te, ut respondendo, sic interrogando, indies doctiores facti.

SALOMON.

In magnis & voluisse sat est: Quid maius natura, eiusque his operibus? Certè in rebus humanis nihil. Ideo sufficiat huius vestigia indagare, & per opera admiranda magistram rerum contemplari. Nil homine dignius, quam ex humanis diuina metiri, ex creaturis Creatorem, ex liberalibus donis Largitorem, ex prouidentia æterna Deibeneignitatem, ex factis Omnipotentiam Numinis.

**ENIGMA**

144.

Hermes iubet venari tinturas in lapidibus; quoniam in iis sit mansio earum: Lrides itaque consideremus a vobis omisos: Quis igitur Lapis, Regina, tinctura proximus est?

SABA.

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 105  
S A B A.

Granatus: Namq; in igne persistit, rubëusq; est, & auris semina naturaliter in se continet: quibus proprietatibus si ingressus in metalla accedat & ponderositas, nescio quid veræ tinctoriae in eo desit. Admirabilis est natura huius lapilli præ cæteris omnibus. Vaporauri in eo fixus est, & color rubëus, qui adest, tinctoria paludamentum. Natura in eo suorum armorum insignia insculpsit, suæq; plantæ vestigium reliquit: Imperatorem Diuæ Memoria Rudolphum II. hoc medio Mercurium vulgi præcipitasse vidimus. Artificis est & coagulationem cum fixatione & ingressu illi addere, & tinctoria erit perfecta. En hic est campus Martius protyonibus ad exercendum non tam manus, quam ingenium; ut rimentur, an Granatus sit arti utilis, & si sic, siue non, cur, & quem ob defectum? Ut enim est Medici, corporis humani partes, venas, nervos, arterias, humores & operationes contemplari, ut sanitas & morbus discernantur, causæ cuiusque innotescant cum symptomatibus: Sic Chymicis seu Philosophi naturalis est, mineras, tanquam subiecta artis, enucleare, probare, & examinare. Sic enī Morienus, Similiter scius, inquit, maior radix huius operi est in inquisitione specierum, quæ sunt meliores ad hoc magisterium: Nam unaquæq; minera multorum est generum.

SALOMON.

*Estne adhuc alius lapis tinctoriam præseferens?*

ENIGMA

S A B A.

145.

Est, nempe vena argenti iudis sanguinea, quam Redigatdīg vocant. Hæc licet sit valde rubea, in igne tamen iubedinem illam amittit, & parit argentum albissimum. Rubedo autem illa est in sulphure, ideo separatur. Quod si argento viuo communicari posset, foret tinctoria, quæ quæritur. Accipiatur itaque hæc minera, & sulphur illud rubéum coquatur, donec album ab eo coloretur, & tota compositio rubea fiat instar croci. Prius tamen, quam hoc opus incipiatur, acriter exanimetur, rationibus quibuscumque pro & contra adductis, & veritas patefiet. Estq; hæc altera quasi materia ingenii docilibus excutienda relicta: quibus tamen nolumus sophistis alios decipiendi ansam præbere.

O

SALO-

## S A L O M O N.

*Quid censes de lapide Lazuli?*

S A B A.

Et ille medicinalis est, ex auro deducens suam dignitatem; quod aliquando visibiliter in eo hospitatur. Cœli colorem in igne durabilem in se continet, qui per artificium inde separatur; ad cuius exemplum forte liceret & rubéum colorem ex suo continente extrahere. Color ultramarinus vocatur, quia ultra mare peteretur Venetiis, vel ex Hispania, Indiisve. Argenti idem color est in profundo; vnde & hunc argentéum fixum quis existimare posset, & ad rubéum deducibilem, si modò ingressum in metallâ haberet.

S A L O M O N.

*Quomodo extrahitur lapidis Lazuli color ex sua minera?*

S A B A.

Lapidis dicti optimè colorati, puri, libra vna, plus vel minus, contetur in tenuissimum puluerem, in Porphyrio cum aquâ clarâ; exiccatur puluis, & teritur, donec alcohol fiat: deinde accipientur picis Græcæ vnciae tres, resinæ pini vnciae quatuor, mastiches vnciae tres, thuris vnciae tres, oleoliuarum vnciae duæ; In patellam vitreatam ponatur primò oleum, cui calido addantur resina, post pix, deinde thus, postremò mastix: moueantur bene: alteri scutellæ infundantur, & bulliant paruin: Lapidis puluerem siccum pone in vasculum, cui affundat hoc vnguentum paulatim, mouendo spatula, ut bona fiat mixtio: Relinque sic hanc mixturam per diem, ex qua deinde color sic segregatur: Affunde aquam bullientem supra pastam, & moue, refrigerata effunde, & serua; aliamq; aquam affunde, idq; toties, donec aqua non amplius tingatur; Fac ut aqua abeat, & color cœruleus erit in fundo; quem aqua tartari purgare poteris, si opus sit.

S A L O M O N.

*Est igitur vnguentum & pinguedo oleosa, quæ extractum tinturam cœruleam ex suis corporibus, eamq; commendat.*

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 107  
mendat aquæ pluviæ seu claræ seruandam; Quid si hoc mo-  
do in opere philosophico procedatur?

S A B A.

Non abs re foret; quia oleosa penetrant in profundum, coloresq;  
dant & accipiunt constantius, quam aquosa. Sunt præterea hic attrahentia,  
calefacientia, & retinentia seu astringentia, quæ veluti permanens  
colorem dictum ad se trahunt, attractum seruant, donec aqua  
bulliens eum sequestret. Ita in lapide philosophico, quam primum in-  
terior redactum fuerit exterius, & viceversâ, hoc est, cum purpureo  
ornatur colore, hic in vnguento, quod est anima, congregatur, & per  
aquam nubium seu instrumentalem visui humano manifestatur.

S A L O M O N.

*Cur animam lapidis vocas vnguentum?*

ENIGMA

149.

S A B A.

Hæc Hermetis sunt verba, & Philosophorum plororumque: sic  
enim Lullius in Codicill. cap. II. Quia hoc, inquit, oleum est tinctura, au-  
rum, & anima, ac Philosophorum vnguentum, quo totum perficitur magisterium.  
Eteod.lib. cap. 54. Animæ enim sunt fermenta, olea, vnguenta, aurum, & ar-  
gentum nostrum. Arnold. in R. o. lib. 2. cap. 9. Aer sane est oleum, & tinctura,  
& aurum, & anima Philosophorum, & vnguentum, quo totum perficitur magi-  
sterium. Sic Riplæus port. 6. Atq; hic medius aer, quem oleum vel aquam dici-  
mus, nostrum ignem, nostrum vnguentum, nostrum spiritum, nostrum lapidem, in  
qua re sola fundata est omnis nostra sapientia. Et addit: Nunquam solus exit,  
nec intrat per ignem; sed aqua quamprimum eum edicit, ac post introducit, ut  
aqua, quæ ab aqua nunquam separatur, & sic potest aqua solum nostram aquam  
mouere, qui motus causatur mortem simul & vitam, & aqua naturaliter aquæ  
adheret sine vlla repugnantia ac contentione. Vnde apparet, Philosophos vnguen-  
to & aquâ vti ad separationem suæ tincturæ, hoc est, animâ lapi-  
dis & spiritu.

S A L O M O N.

*Cur hæc pars lapidis appellatur vnguentum?*

ENIGMA

150.

S A B A.

Quia inungit partes terreas & siccas lapidis, easq; in igne fluxiles

O 2 red-

reddit, ita ut in metalla facile ingrediantur. Eodem modo dicitur quoque aër & oléum; quia oleosa sunt aëria, & huic etantia, seq; in poros corporis profundos insinuantia. Sed Philosophorum olea non sunt flammantia, aut combustibilia, ut vulgaria, à quibus hæc quoque notâ differunt.

## S A L O M O N.

*Quod est proprium nomen lapidis?*

S A B A.

Lapis vel Apis est; Lapis, quia duram materiam obtinet, per quam virtutem suam effundit veluti aurum per lapides dutissimos suas venulas. Apis, quia Apidem Ægyptium suâ formâ repræsentat. Sonat autem Apis Ægyptiis bouem, sub cuius figura Osiridem coluerunt, dicentes, Osiridis animam in hunc bouem migrasse, qui corniculata Lunam albam, alias toto corpore niger, in fronte vel alterutro latere gestauit. Materia enim philosophica, quæ per Apim exprimitur, non est Lunæ crescentis expers, in quam anima Osiridis continuâ serie migrat, hoc est, anima corporalis, ut vult Artephius, ligatur cum animâ spirituali, in propagatione tincturæ. Qui Apidem non agnoscit, lapidem amplectatur, & sufficit illi. Aliud nomen dare nequeo, cum habeat omnia in se nomina, omniumq; rerum similitudines.

## S A L O M O N.

*ENIGMA*  
151. *Sed ne extra mineralia euagemur; Quis est pater lapidis, & quis auus?*

S A B A.

Saturnus auus, Chiron tutor, Vulcanus præceptor, & Iupiter pater; quamuis alii ei tres patres assignent, ut alteri Orionis, Phœbum, hoc est, Solem cœli, Mercurium & Vulcanum, hoc est, artificem ingeniosum, & ignem. Quocunque modo accipiatur, una res est; de qua Lullius; *Noster infans, inquit, habet duos patres, & duas matres: vbi Vulcanum quoque intelligit; quia addit: Et quia ipse charè nutritus est extotâ substantia in igne, propter quod nunquam moritur.*

S A L O-

TERTIA DIES: DE TERRÆ FOSSILIB. 109

SALOMON.

Jupiter multorum filiorum pater est: at tu forte Dio. ÆNIGMA  
153.  
nysium intelligis?

SABA.

Eum ipsum, & quemuis alium. Sunt enim re vnum & idem, nec nisi nominibus & attributis allegoricis differunt. Propriissimè vocatur Mercurius, vel Mars, vel Apollo, vel Pollux, & sic de aliis intelligēdo.

SALOMON.

Tibi, Hyrame, nunc obstrepar mei quæstiunculis, cum Regina mihi satis colloquij intercessit hac vice: *Ex te quero, Num plus fidendum mineris, quam metallis, perfectis, quam imperfectis, corporibus, quam spiritibus, aut contra?* ÆNIGMA  
154.

HYRAMVS.

Tria sunt hīc primum proposita enodatu difficilima. Enītā tamen ut possūm singulis satisfacere. Si metallā in suis venis quandam vim astralem, formatiuam, ac spirituosam habent, qua proueniunt, & quasi vegetantur, augmentatione sui cordis, seu grani perfecti; tum mineræ sunt præferendæ metallis fusis, & in igne emaciatis, eoq; spiritu priuatis. Sin secus; & hæc illis anteferentur. Verūm enim verò nihil in hac sublunari regione aëris eo spiritu destituitur; sed quælibet res formata eo imprægnatur; In primis metallicæ venæ seu mineræ, quæ ut suas formas & species distinetas habent, & in tenebris illis agnoscunt; ita vim quandam mouentem seu spiritum mineralē ab astris descendente possident, quā alterantur, & ad motum physicum incitantur. Animam propriè diētam vegetabilem, aut sensitiuam non intelligimus; sed id, quod alterationis in mineris principium est. Quod nisi esset, nulla alteratio aut mutatio sequeretur, nulla conuersio imperfecti in perfectius, nullumq; grani incrementum: sed quod hæc fiant, indubitatū est ab experientia metallicorum opificum, qui venas eas scrutantur, excindunt, in lucem proferunt, liquefaciunt, & in sua metallā redigunt. Mineræ itaque prætulero metallis fusis non iniuriā. Ad secundum dicendum, ad imperfecta plerosque respexisse authores, sed cum perfectis naturaliter fermentata. Sicopia, vilitas,

nigredo materiae consideretur, si facilis alteratio, solutio, & coagula-  
tio operationum; si naturæ cursus, vestigia, & series: Hæc omnia &  
singula ad imperfecta declinant. De perfectis sàpè conueniunt, sed  
ibi plerumque suum proprium aurum & argentum intelligunt, non  
commune. Calculum itaque imperfectis concedo; sed non omnibus,  
3. quem vni debo. Ad tertium refero, quòd spiritus non coagulan-  
disint absque corporibus, nec corpora soluenda absque spiritibus; &  
quòd vnum alterum emendet & corrigat, veluti manus manum la-  
uat. Corpus absque spiritibus quod cunque mortuum est; & spiritus  
absque corpore, instabilis, fugitiuus, & vagus. Vinciantur simul per  
Vulcanum, & perpetuò vnâ habitabunt, ut vna res, cum corpus in spiritum,  
& spiritus in corpus transierit. At non omnis spiritus omni cor-  
pori conuenit. Iungendum est genus cum genere, & species cum sua  
specie. Figitur enim, ut Riplæus restatur, omnis spiritus cum calcibus  
sui generis.

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

155.

*Quid de reductione metallorum in primam suam ma-  
teriam statuis, an illa sit superflua, an necessaria?*

## H Y R A M V S.

Reductio in primam materiam subiecti philosophici sic intelligi-  
tur, quòd illud compositum retexendum sit eò usque, donec adfuerit  
illud, in quo primum natura operari incepit, idq; in eam formam, li-  
cet imperfectam, quam habet, redagit, idq; fit per solutionem in ar-  
gentum viuum per argentum viuum, multas ob causas: Primò, ut fiat  
destructio prioris formæ, atque sic dignorem formam acquirere pos-  
sit; quam diu enim eâ formâ, quam habet illud subiectum, præditum  
est, alterius nobilioris non est capax, aut appetens: Exempli gratiâ,  
Accedo ex vnâ viâ Regiâ in tritium, seu tres vias, ex quibus vnam  
viam eligo ad lœuam tendentem, quam prosequor. Eodem modo  
subiectum philosophicum fuit prius quasi in viâ Regiâ, seu materiâ  
primâ, ex quâ progressum est ad formam certam versus lœuam. In hoc  
statu inuenimus hoc subiectum; sed illud iterum retrò ad viam Re-  
giâ redigendum erit ad suam materiam primam, in qua cum fuerit,  
alii via formæ eligenda est, nempe ad dextram, ut Tinctura inde fiat,  
quod

## TERTIA DIES: DE TERRA FOSSILIB. III

quod viliori usui mancipatum erat: Secundò, per reductionem in  
materiam primam metalla purgantur & lauantur à sordibus origina-  
libus & terrestreitate sulphuris immundi: Tertiò, ut fiat vniuersalis  
& per minima mixtio in forma aquæ, non pulueris super ignem. Quæ  
enim sic miscentur, non facile disiunguntur, cùm aqua aquam com-  
pleteatur, & proximus proximum suum non dimitat. Ex quibus con-  
stat, nihil fieri posse in hac arte, absque præmissâ illâ omnibus decanta-  
tâ in primam materiam reductione.

2.

3.

### S A L O M O N.

*Quomodo retexi possunt metalla?*

ENIGMA

156.

### H Y R A M V S.

Eodem modo, quo Augustus Cæsar Romam reliquit marmo-  
ream, quam lateritiam & ligneam repererat. Tecta & parietes de-  
struuntur, & super fundamento eodem ex digniori materia, nempe  
marmorea, ædificantur ædes de nouo: Sic enim Author Auroraæ, c. 10.  
Separantur, inquit, elementa, terra scilicet, aqua, aer, & ignis: Terra ibidem re-  
linquitur, vt alia tria elementa in ea valeant radicari; si ipsa non esset, elementa  
fundamentum non haberent, superaedificandum domum nostram thesaurem.  
Destructioni inseruire dicitur calcinatio & solutio, constructioni alia operationes.

### S A L O M O N.

*Quousque retexenda sunt, an usque ad elementa sim-  
plicia, an amplius ad materiam primam nudatam ab omni  
forma?*

ENIGMA

157.

### H Y R A M V S.

Ad elementa nostra opus est regredi; tum enim totum compositum  
destrueretur, quod fieri non debet: sed ad elementata corpora redire  
sufficit. Multò minus ad materiam nudam recurrentum erit: quia hæc  
nec inuenitur, nec queritur. Nullum enim corpus adeo destrui potest,  
vt omni formâ orbetur. Materia prima, vt meretrix, unam formam di-  
mittit, & alteram captat, sed non priùs illam, quam hanc. Regressus  
postri-

nostræ subiecti fit saltu vno saltu; nec opus est plurib. cancrinis meatus. Forma ipsi quædam manet; sed non prior, à qua denominatione habebat; verum rūdior & incultior, mutabilitati obnoxia, instar ceræ, vt flecti possit, quo debet: Remanent in eo qualitates pristinæ, at diligatae, fæcibus separatis. Ita cibus fit chylus, post chymus, hinc semen genitale, post embryo, denique homo per multas digestiones, alterationes, maturationes, & transmutationes. In singulis hisce mutationibus singulas formas habet; sed ultima est omnia perfæctissima, & vindicatur præcedentes omnes huic inferuiri tanquam dominæ.

## S A L O M O N.

ENIGMA

158.

*Quæ est mens Basili Valentini in descriptione eius primæ materiæ Lapidis philosophici?*

## H Y R A M V S.

Ipse de lapide vilis pretij dicit, quod volatilis ex eo extrahatur ignis. Id enim verum est, quia omne, quod non est de essentia eius, auolat, aut comburitur: Ipsumq; refert lapidem componi ex diuersis coloribus, nempe ex seruo rubeo, & odorifera eius sorore. Lapis est, & non lapis; illud, quia teritur; hoc, quia funditur. In eo solo operatur natura, & non in alio. Natura itaque operationes suas nondum in eo absoluuit, sed quasi in medio earum cursu est. Ex hoc lapide distillatione nota aqua clarissima elicetur, quæ Regem, patrem, seu senem suffocat, eð vsque, donec ipsi restituatur anima; & mater volatilis ipsi in regno adæquetur. Quod enim est superiorius, est sicut illud, quod est inferiorius, & ascendens habet naturam descendens. Eadem igitur Basilii est intentio, quamvis aliis vtatur terminis.

## S A L O M O N.

Cessabimus nunc, si placet, ab hac Fossilium inquisitione, & crastino die ad Vegetabilium classem accedamus, in quibus à Cedro ad Rutam murariam, à summo ad infimum, quo ad Ænigmatæ nostræ tractationi sufficiat, discurremus, agnoscentes, vel ex minimo flosculo Dei Optimi Maximi omnipotentiam, vt Poëta Christianus verè canit:


*Præsentemq; refert vna vel herba D E V M.*

SEPTI-

SEPTIMANÆ PHI-  
LOSOPHICÆ

Quarta Dies:

DE VEGETABILIBUS.



SALOMON.

VARTA nobis lectio in hoc magni Mundi libro nunc  
impendet quarto hoc die in quarta pagina. Hanc disca-  
mus, lustremus, & diligenter curâ perueluamus. Si enim  
pueris in suis tabellis conuenit, vt occupentur circa pri-  
mas literaturas: tum multò magis nobis, vt circa maio-

P. ris

ris mundi apices, lineas & figuræ reales, quales sunt omnes visibiles creaturæ, contemplandas & agnoscendas versemur, utile, honorificum, & necessarium erit. Quid Antonium Eremitam indies eruditorem reddidit? Non liber manuscriptus, aut bibliotheca copiosa, quâ caruit; sed sola contemplatio Mundi, seu Naturæ, eiusq; variarum partium secundùm causarum genera inquisitio. Ternas in hoc paginas absoluimus, non pro rerum dignitate, qua potius Angelicum eloquium, quam balbutiem humanam postulan; sed pro talenti nostris ratione, & mænitis sinceritate, ut potuimus. Nunc Herbarum vires & diuersitates percurrendo inuestigabimus, quatenus his Philosophia nostra ad suam intentionem vtitur. Non enim Herbarium instituere est nostra voluntatis, aut huiusc loci, ac temporis. Scriptoriant & ediderunt de his sua opera prægrandia viri excellentissimi in diversis linguis & nationibus, tam copiosè & absolutè, ut hanc tractandi materiam satis illustratam omnibus sequentibus praepuerint. Angusta diei vnius meta est, quæ non longos admittit discursus, Laconismo contenta & succincta rerum breuitate. Nec verò Asiatica dicendi vbertate opus est, cum natura per res ipsas loquatur, hoc est, per plantas & vegetabilia, & hæc, tanquam hieroglyphicas solo impinxerit literas; non vt eas solummodo pedibus conculcemus; sed & ingenio percepimus, scrutemur, & ediscamus. Magni libri hæc magna est lectio, non iumentis, aut pecudibus, sed nobis rationalibus commendata. Si brassicam solam Cato integro libro tractauit, & quidam in formicis, alijs in apibus solis contemplandis consenserunt: quid accidet nobis, qui totum hoc Mundi Theatrum, continens cum contemnis, perlustrandum assumpsimus, idq; in vna septimana, siue paucis horis. Qui circumnavigant terrenum orbem rectiori ductu, biennium & semestre ad minimum postulant; Ad tot & ranta verò orbis arcana enucleanda ex suis causis, huius vita breuitas vix sufficeret, nisi saltem summa rerum capita perstringere aut libare nobis foret in proposito.

Vegetabilium  
hum di-  
uisio.

Vegetabilium  
prioris ge-  
neris na-  
tura.

Vegetabilium autem duplex omnino est differentia: Alia enim ordinario naturæ processu ex semine sua specie oriuntur; Alia ex sola putrefactione, nullo præcedente corporeo spermate.

Est autem illorum semen simul agens & patiens, hoc est, Hermaphroditici generis, aut potius in semine eorum est vis formativa, pri-  
mò mo-

mò mouens & actiua, nec non materia, motum recipiens & passiuia,  
vnde plantæ cuīslibet radicales partes generantur. Habet præterea  
semen, veluti onum, suum corticem & tegumentum, cui includitur, &  
ad plantationem vsq; virtute integrâ conseruatur. Tum si in bonam  
terram, hoc est, bene latificatam à Stercurio illo Deo, spargatur, cuius-  
cunq; speciei fuerit, crescere incipit hoc modo: In terra pingui & ster-  
corata est acredo quædā nitratalis seu salis petræ, quæ si soluatur in aquâ  
pluuiâ vel nubium, & semé terræ sit inieclum, penetratur ab hac aquâ  
nitrosâ, & intumescit, eò vsque, donec cortex rimam ducat, & franga-  
tur: Deinde magis magisq; intumescens, veluti pullus ex ovi cortice,  
sic ex suo putamine egreditur, non motu sensibili, locali tamē & physi-  
co: Sic glâdes querñæ, fabæ, pisa, amygdala, pruna, cerasa, & reliqua  
vegetabilia omnia ortus sui initium sumunt; quorū quò duriora erunt  
putamina, eò longius tempus requiriatur, ante quam ius apertis & hian-  
tibus seminaexeant; quò molliora, eò breuius: Terra autem suo gre-  
mio illis vterū genitalem præbet, tanquam immediatè mater omnium  
vegetabilium: vnde quando semina terræ mandata, intumescentia,  
nudantur suo cortice, ex parte vel totaliter, fit conceptio eorum & nō  
prius. Quod si præ duritate cortices rumpi nequeant, aut alias ratione  
defectus pluiae, aut simi: tum nec illius conceptus continget. Quo fa-  
cto, incipit natura operari cum vegetabili, velut animali. Primū mem-  
brum seu viscus, quod in animali formatur, præfertim in homine, est primum,  
epar, cum venulis suis ac umbilico foetus epati inserto. Hæ venæ sunt quod in a-  
manus epatis, quibus illud attrahit sanguinem ex utero materno, seu  
acetabulis. In homine autem hæc vis formativa est in semine masculi-  
no, quod incipit hunc motum; materia patiens in feminino crudiori, formatur.  
nimali, &  
præfertim  
homine  
membrum  
primum,  
par, cum  
venulis  
suis ac  
umbilico  
foetus  
epati  
inserto.  
Hæ venæ  
sunt quod  
in a-  
manus  
epatis,  
quibus  
illud  
attrahit  
sanguinem  
ex utero  
materno,  
seu  
acetabulis.  
In homine  
autem  
hæc vis  
formativa  
est in  
semine  
masculi-  
no, quod  
incipit  
hunc  
motum;  
materia  
patiens  
in feminino  
crudiori,  
formatur.

Post epar, cor primò formatu traditur, vni-  
ca domus & officina virtutis formantis, vegetabilis in homine. Ex cor-  
de reliqua viscera & membra vitam & motum accipiunt. Simili mo-  
do semen plantæ in terræ matrice radiculas, quasi venulas mesera-  
cas & manum, acquirit, seu radicem epati assimilatam; Deinde ger-  
men, veluti cor, quod paulò supra radicem existit, & in arboribus  
truncus vocatur: ex hoc rami & frondes reliquæ oriuntur. Vnde *Vegetabilia*  
non immerito *vegetabilia*, vt sunt arbores, *inuersa animalia* ( absq; dicuntur  
sensu & motu tamen ) à quibusdam dicuntur, quo ad nutritio-  
nem. Animalibus os superius, epar in medio corporis est; *Plantis*  
*inversa ani-*  
*malia.*

inferius vtrumq; quæ suo alimento semper sunt affixa, vt tām noctū, quām interdiu fruantur ore cœli & pinguedine terræ. Illarum incrementum per nutritionem hac ratione videtur contingere: Cortice seminis vegetabilis rupto, ac conceptione ita factâ, ex imo terræ per porous aura quædam seu vapore euaporat, qui attingens fibras & venulas radicum, ab illis attrahitur, & veluti sipientibus imbibitur, non sine puluisculis terræ qui cum vapore ascendunt. Vapor hic subhumidus per meatus angustos penetrat, & vnâ cum terreâ substantiâ, sibi associatâ, se per omnes dimensiones plantæ extendit, in qua à frigore aëris circumstantis congelatur, & in aquæ seu succi densitatem reddit. Quo modo cùm natura successiuè vtatur, hinc planta in altum crescit, & in latera dilatatur, eo vsque, donec ad iustum agmen pertinenterit, in qua quiescit. Terra & aqua sunt vegetabilium parentes, nutricesque, quemadmodum & nutrimenta; sed aqua in aërem transit, & aëri terram secum assumit, vt simul ascendant, deinde reuertitur in aquam, & aqua in terra coagulatur. Aër itaque cibus est plantarum, & potus, hoc est, lac & puls, sine quo crescere nequeunt, tām intrinsece, quām extrinsecè. In aëre plantæ vegetant, & augmentantur: Aër in pluviā resolutus humectat terram, & ex ea pinguedinem colligit, quam pluviā iterum aëria redditam ministrat, vt diētum, plantæ, donec illa folia, flores & fructus producat, singulis annis, quibus ad has vices natura reuertitur. Non autem negandum est, vires quasdam occultas ab astris cuique speciei plantarum affluere, quarum beneficio illæ variis & certis medeantur morbis, quasi ex proprietate naturæ; sed has virtutes, vt & stellarum, indagare, supra humanitatem videtur. Nihilominus fuere nonnulli, quid conati sunt, sed diversa ratione. Alij enim à solâ experientiâ singularum herbarum proprietates agnosci volunt. Alij ex charactere simplici vegetabili à natura impresso ad similitudinem alicuius partis humani corporis, morbi, vel humoris. Quidam omnia vegetabilia in 12. classes vel 7. genera diuidunt, iuxta Planetarum vel signorum Zodiaci numerum & naturam præsuppositam. Quidam, iūq; frequentiores, secundūm calidum, frigidum, humidum, & siccum ea distinguunt, tanquam primas elementorum qualitates, ex quibus deinde secundas & tertias qualitates ratione deducunt. Verū in his omnibus innumera dubia & incertitudines occurunt, de quibus in huius vita obscuritate vix veritatis lucem attingere vel videre possumus.

**Vegetabi-  
lum paren-  
tes.**

**Cibus &  
porus plan-  
tarum.**

**Astrorum  
vires oc-  
cultæ.**

mus. Sed tentanda via est, & iactanda alea, vt in hoc quoque Naturæ campo viatores euadamus, vnde Creatori gloria, & homini non nihil vtilitatis accedat. Diuidemus autem nostras Deambulationes Philosophicas in quatuor differentias, nempe Horti, Agri, Prati, & Arbo-  
reti: De Horti muneribus, tu Regina; de Agri, tu Hyrame, mihi quæstiones mouebitis: ego vobis de reliquis, Prato, & Arboreto.

Diuisio hu-  
i: ope is.

## S A B A, Quæstiones de Horto proponens.

Horti simul iucunditati & vtilitati, sanitatiq; vitæ humanæ inscr-  
uiunt, quæ absque illis semimorta videtur. Quid enim homo absque De Horto.  
sanitate? Qui commendatione factus est à fratre sorori, hoc est, à mor-  
bo morti. Quid absq; bono vtili? Civiliter sepultus: Quid absq; iucu-  
ditate, molestia & curis intermixta? Scena absq; risu, vel cœna absq;  
cibo. Homo enim ad suæ vitæ sustentationem his omnibus eget; quæ  
hortis referuntur accepta. Epicurus omnium primus Athenis intra Epicurus  
mœnia hortos instituit, in quibus vixit, & scholam habuit, contentus  
naturæ donis hortensisibus, malè audiens à Peripateticis, quod negligens honoris, in hortis sese abdidebat, vitamq; absque dolore, cum iu-  
cunditate ætam, pro summo bono hominis pronuntiârit. At recte intel-  
tellectus fortè excusari poterit Author in illis. Hominis enim finis & lectus, ex-  
summum bonum est revera voluptas æterna, non corporis, libidinis,  
aut gulæ, sed animæ mentisq; quæ Deo adhærens vnicè omnis gau-  
dij, lætitiae, & voluptatis fit particeps, ad quam quoque condita est.  
Qui de corpore hoc intelligit, verè Epicureus de grege porcus, ha-  
bens animam pro sale sibi datam, vt alter Grillus. Alcinoi quoque  
Phœacum Regis celebrantur horti, vt fertiles, & biferi; sic & Adoni-  
dis, & Semiramidis in Assyria pensiles, nec non Hespeidum, qui au-  
rea dedere mala. De Herbis & Flosculis hortorum differere nostra  
est intentio. En primo aspectu Rosa, ianuae p̄fecta appa- Rosa  
ret, quæ cùm sit armata, vt Pallas, & pulchra, vt Venus, à  
Gratiis in delitiis habetur: Formosa est, nec minus casta;  
morigera, nec minus violenta, si non bene tractetur: Suas ÆNIGMA  
nis, bella, tenella, & compta virgo est, quæ intra cancellos 159.

*spinosos sese clausit, ne à pueris & stultis impunè raperetur  
in manipulos. An non hæc locum habet apud Philosophos?*

## S A L O M O N.

Philosophi tot Rosarios sibi condiderunt, ut numerus eorum incertus sit. Habent enim magnut̄, minorem, abbreviatum, Toletanum, & plures alias, non aliam ob causam, quam quod Rosæ albæ & rubeæ in iis creuerint, & aliis ad odorandum oblatæ sint. Qui Rosas hortenses donant aliis, non nihil dedisse ex naturæ munusculis censentur: Multò magis authores illi, qui tot Rosarios nobis reliquerunt, Rosas fertiles & plenos, donaria reliquissæ mundo existimandi sunt. Alia Roseta nonnunquam casu quodam pereunt; Philosophica permanent, donec fuerint homines, qui odoratu ingenij non destituuntur ex nimiâ Coryzâ.

## S A B A.

ENIGMA  
160.

*Quas ob causas Rosa vegetabilis assimilatur minerali  
& philosophica?*

## S A L O M O N.

Rosa vege-  
tabilis &  
philoso-  
phica.

Tæ sunt diuersæ: Primò, ob colorem album & rubeum vtriq; Rosæ vegetabili & philosophicæ communem; vtq; purpurea pretiosior habetur candidis; sic rubra tinctura albâ, vel aurum argento: Secundò, vt Rosa vegetat, sic lapis vegetabilis crescere dicitur, quia vim habeat in se alterationis, quasi nutritionis, augmentationis, & propagacionis: Tertiò, Rosa rubea habet flauos cyathos & calicem viridem, semina intus villosa: Idem colores in Rosa minerali obseruantur; in hac enim viridis Leo præcipuum est continens; contenta sunt spermata viscosa & aspera, capilli flaui caput exornant, cum scilicet proiec̄tio facta est in metalla, tum flauescunt: Quartò, Rosa sensibus & cerebro hominis accepta est, propter suavitatem odoris, pulchritudinem, & salubritatem: ita & Rosa philosophica omnes sensus exhilarat, cor reficit, cerebrum corroborat, & innumera alia præstat, de quibus videantur Philosopherum libri.

## S A B A.

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 119  
SABA.

An partus Rosæ virgineus tintura quoque assi-  
milatur?

ENIGMA  
161.

SALOMON.

Ferè in omnibus: Ut enim rosaceus fœtus vertice suo rumpit ma-  
triculam, in qua continetur, & recreatur nocturno rore, & diurno So-  
lis calore; sic philosophicus in sanguine proprio coalescit, donec in  
lucem nascatur, & perfectus sit. Vulcanus illi calorem ministrat, & Iu-  
no pluuiam, quam annuntiat per Irin variorum colorum. Ros utrique  
rosæ amicus est, & calor necessarius, quorum si quid defuerit, abortus  
sequitur, & fœtus moritur in partu: aliter prodibit in lucem purpu-  
reus, succiplenus, & viuidus.

SABA.

Quæ causa est albedinis & rubedinis in una  
specie rosæ?

ENIGMA  
162.

SALOMON.

Quæstio hæc vulgaris est, at solutionis Philosopho non indignæ:  
Colores substantiarum velle deducere ex qualitatibus elementorum  
primis aut secundis, frustraneus labor est, qui fundamento innita-  
tur lubrico: Nulla enim h̄ic videtur correspondio, nulla propor-  
tio. In pomis rubedo externa maturitatem plærumque, & ad Solis  
radios conditionem denotat: quia cuiusque pomi latus Soli meridia-  
no expositum rubescit, reliqua non item. Ita de vuis & aliis fructibus  
iudicandum. Sol itaque rubedinem in his operatur actuali suo ca-  
lore mirabiliter; non quod propterea dicendum sit, omnia rubea Obiectio.  
esse calida, aut matura, magis cocta, quam alba, quia contrarium  
sæpe inueniatur verum. Sunt poma quoque acida & immatura,  
aliquando etiam rubra, & fructus alij manifestè frigidi, vt fraga,  
cerasa, & eiusmodi alia. Sic Rosa Ephemera statim rubet, nec  
expectat maturationem ulteriorem. Quomodo cunque sit, à So- Responso.  
le tamen cœlesti hanc rubedinem dicitis vegetabilibus imprimi,  
non est dubium, absque vlla mixtionis Elementorum consi-  
dera-

deratione præsupposita. Est autem rosæ rubedo accidens separabile hærens in tenuissima substantiæ eius parte; vnde per aquam calidam facilimè Tinctoria Rosea extrahitur pro syrups & aliis medicinis: Extractum illud terrea corpuscula igni mixta in aqua abscondit, in quibus propriè color ille rubeus, tanquam in subiecto hæreat; Euanscente verò igne ex terrâ illâ rarissimâ, tanquam ex fomite non idoneo, color rosæ rubeus extractus perit, subiecto proprio destitutus.

S A B A.

**ENIGMA**

163.

*Quæ causa est, cur spiritus vitrioli tinctoræ vel decocto rosarum rubearum in paucis guttis admixtus, rubedinem eius exaltet, augeat, & diu illæsam conseruet?*

S A L O M O N.

Pulchra est hæc quæstio, & explicatu dignissima. Diximus rubedinem rosæ esse in fragili subiecto seu rarâ substantiâ terreâ igni mixtâ, idq; verum esse & hoc testatur, quod spiritu astringente cum apertione, seu aperiente cum astrictione densior & corpulentior reddatur, & cum igneo elemento arctius connectatur, ne vnum relinquat aliud: vnde necessum est condensatâ substantiâ & accidens condensari, & sic colorem rubeum augeri. Quod autem vitriolatus spiritus præstat in rubeo rosæ colore, idem in aliis substantiis coloratis & coloribus efficit. Hinc à tinctoribus in primis expetitur, & coloribuseorum permiscetur.

S A B A.

**ENIGMA**

164.

*Cur aqua fortis capita rosarum rubearum recentium muria conditarum, pallentium etiam in hyeme, optimo rubore tingit & imbuit, ut coronariis mulierculis notum est?*

S A L O M O N.

Eadem est causa, quam modò dixi; quia pallor rosæ accidit etiam muriâ conditæ ex raritate elementorum dictorum, quæ roborantur & confirmantur ab aquâ dupli ratione; tum quia ex vitriolo est composita; tum quia calore potentiali adeo prædita est, ut frigida

rosæ

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 123

rosæ corpuscula mox calefaciat, & rubet: nem eius ex centro ad superficiem eliciat, cùm sit ex attrahentibus fortissimis.

S A B A.

Verùm cur rosa rubea etiam in frutice manens fumo ENIGMA  
165.  
sulphuris vulgaris vertitur in albam, aut saltēs distincta  
eius folia, quæ fumus attigerit?

S A L O M O N.

Vt Mercurius Mercurio, ignis igne, & frigus frigore elicetur, sic accidens à calore Solis rosæ impressum, vel etiam elementum rosæ igneum à fumo sulphuris calidi & siccii, hoc est, ignei, extrahitur, & cum fumo evanescit, atque sic rosa, vel eius partes fiunt albæ. Fumus enim sulphureus penetrat rosam absque constrictione, & postea auolut, & sic assumit id, quod sibi est maximè simile, suisq; alis in aërem exponit.

S A B A.

Quid antiquiores de rosæ rubedine senserunt?

ENIGMA

166.

S A L O M O N.

Rosas priùs albas sanguine Veneris tintas esse rubras, videlicet, dum illa ex roseto profliret Adonidi ab Apro vulnerato opem latura. At hæc sunt omnino allegorica, & de rosis philosophicis intelligi debent, ut alibi latius exposuimus.

S A B A.

Rosa itaq; relicta, ad Lilium transeamus; An non & ENIGMA  
167.  
hoc conuenit Philosophiæ?

S A L O M O N.

Nihil magis; Nam & hoc album, & aurēi, nec non rubri coloris est. Est aliud, quod Conuallium dicitur, & aliud, *Lilium inter spinas* appellatum. Huic Philosophorum opus persimile est. Illud tutum est ab insidiis prætereuntium, propter vallum & munimentum spinarum: Hoc à lasciuia cerdonum luxuriantium, & otiosorum, defenditur se pimento variorum terminorum, & allegoriarum. Imò, ut ipsi flores liqueat spinis circumscripti alienis, non propriis, nascuntur in lucem: sic

Q

& for-

122.

## SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ

& fetus philosophicus, dum prodit, ab heterogeneis admixtis, quæ ad eius naturam non spectant, separatur, & parus oritur.

S A B A.

ENIGMA

168.

*An non huc spectant flores Virgiliano ænigmate teo  
et i? videlicet:*

Virgil.

Eclog. 3.

*Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum  
Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.*

SALOMON.

Lilium eſt cœruleum, ſive Iris, de qua vult (ut videtur) intelligi;  
In eum enim florem Ajax, qui ſe ad Troiam infanus interemit, con-  
uerſuſ traditur, dummodo quis fidem historiae adhibeat.

S A B A.

ENIGMA

169.

*Quid de Hyacintho?*

SALOMON.

Et iſ floſculus humanam reliquit faciem, & plantæ aſſumpti: Fi-  
giture enim in delitiis fuſſe Apollini, cumq; Boreas eundem amaret,  
ex zelotypia diſcum, quo cum Apolline ſe exercebat, in eius caput il-  
liſit, vnde mortuus ab Apolline lugente in hunc florem commutatus  
eſt. Hoc eſt in uolucrum fabulae, ſub quo veritas rei abſconditur, tan-  
quam ſub pallio.

S A B A.

ENIGMA

170.

*Quid intelligitur per Hyacinthum?*

SALOMON.

Sanè formosus aliquis iuuenis, cum quo noſter Apollo ſe ſapere ex-  
erçet, at tandem ab eo interimitur, inſtinctu venti. Si quis hunc non  
agnoscat, nec Apollinem agnoscet. Ignis enim Naturæ per ignem  
contra naturam in actum ducitur, & ad motum incitat, ac deinde,  
quod contra naturam eſt, occiditur, & in nihilum, vel in fumos ven-  
tosos redigitur. Dum viueret autem Hyacinthus, candidus fuit; at  
mortuus, in flore hoc habitu cœruleo ab amasio donatus eſt, quod eſt  
facile intellectu.

S A B A.

ENIGMA

171.

*Narcifſus quid habet mysterii Chymici?*

SALOMON.

## SALOMON.

Et ille speciosus fuit iuuenis ab Echo Nympha adamatus, quam cum fureret, imprecatione factâ in suipius amorem incidit: atq; sic ad claras cuiusdam fontis aquas se conspicatus, exarsit eò usque, donec contabesceret: Ipse enim dupli modo & morbo consumptus est, nempe ut agens seu amans, & patiens seu amatus. Nec verò seipso extra se frui potuit, nec suo amore siue actiuè, siue passiuè; vnde affectus eius immedicabilis extitit.

SABA.

*Quid significatur hoc figmento in Chymicis?*

ENIGMA

172.

## SALOMON.

Quod agens & patiens in uno nostro composito simul insint post primam præparationem, vnde fit solutio soluti à seipso, & coagulatio coagulati ab eodem. Elixir enim, ut Philosophi testantur, propriâ suâ aquâ soluitur, & propriâ suâ calce coagulatur, absque peregrini additione; Contaberit cere autem videtur id, quod soluitur, & congelari, dum in florem sui nominis mutatur.

SABA.

*Mira est hæc hominum migratio in plantas, nō minus, quā plantarum seu segetum in homines, ut de Cadmeis & Iasoniis fratribus dictum est: Verūm hæc omnia esse unius originis & intentionis non dubitamus, ita ut qui unum eorum probè introspiciat, nec reliqua ignorare possit; Quid existimas de Helenio?*

ENIGMA

173.

## SALOMON.

Is flo est ex Helenæ lachrymis natus; Est autem flavi vel aurei coloris; vnde non immerito ascribitur Helenæ illi, quæ vna cum Polluce ex uno ouo, præter humanum morem, edita est: In ouo enim philosophico semel concluso & obsignato, est vitellus cum albumine, Pollux cum Helena, & nullo adminiculo eger amplius, quām in eubatu & fomento caloris temperati: Huius Helenæ lachrymæ siue oculorum guttæ coagulantur in florem aureolum.

Q 2

SABA.

S A B A.

ÆNIGMA

174.

*Suntne plures plantæ Chymicis allegoriis insigues?*

S A L O M O N.

Sunt: vtpote Mercurialis, Lunaria, Flos Solis, Heliotropia, Crocus, Chelidonium, Colocasia seu Faba Ægyptia, Moly, Glaucion, & his similes.

S A B A.

ÆNIGMA

175.

*De singulis ordine disquiremus: Quid Mercurialis præstat in opere?*

S A L O M O N.

Eandem vim & facultatem, quam præstat in clysteribus, nempe, ut emolliat, & refrigeret parum: Vnde vis laxativa & purgans augetur, quæ consistit in humido. Oportet enim purgare per hec balm nostram Mercuriale totum compositum, veluti corpus humanum, ab omni immunditiâ, & heterogeneis, quæ alias remanerent, & ægritudinem inducerent illi, quod alia ægra saniora reddere debet.

S A B A.

ÆNIGMA

176.

*Quid Lunaria?*

S A L O M O N.

Hæc est toties Lullio celebrata planta *amabilis*, cuius radix rubea, folia instar Maioranæ, ad modum Lunæ crescent & decrescent. Hæc crescit in montibus & vallibus, Philosophis admodum grata & quæfita. Hanc alias vocat idem Raymundus saum menstruum minerale, cui addit & aliud vegetable, quasi ex vino eductum spiritum, sine quibus menstruis dicit, fœtum philosophicum nasci non posse.

S A B A.

ÆNIGMA

177.

*Sed admirabilis est præ ceteris Flos Solis, oculum illum magni mundi exprimens, aut potius flavis suis capillis Ad pollinem: At hic quoq; Chymie inferuit?*

S A L O M O N.

Recentior est in hisce locis Heliotropii quibuscunque, quæ tamen omnia magnitudine, pulchritudine, & virtute longè antecellit. Ad Solem

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 125

Solem obuertit faciem, tanquam amasium, quem abeuntem veluti oculo mœstus prosequitur, oculumq; claudit, donec Sol iterum appareat.

S A B A.

*Suntne huius generis plura?*

ENIGMA  
178.

SALOMON.

Inā, vt genera Cichorij, & alia, quæ Latinis ideo *Solisequia*, Græcis *Heliotropia* vocitantur.

S A B A.

*Quid de Croco, seu eius flore statuis?*

ENIGMA  
179.

SALOMON.

Quòd sit tinctura inter vegetabilia, vt lapis inter metalla: Crocus Philosophorum longè aliis est. De eo sic in allegoriis dicitur: Philosophorum Crocus taliter præparatur: Sumatur radix eius cum stipite, postquam fuerit humidus, teratur cum humiditate sua in Sole; & post hoc dimittatur in balneo, donec spiritus eius tingens, purus & liquidus emineat, qui totus est colligendus, & corpus residens ablendum est.

S A B A.

*Quid sentiendum de Elementorum extractione ex Chelidonio, quod muris & sepibus adnascitur?*

ENIGMA  
180.

S A L O M O N.

Philosophi longè aliud Chelidonium intelligunt, quod præparant tamen in modum illius vulgati; vt verè de iis vegetabilibus Horatianum illud dici possit:

*Mutato nomine de te*

*Fabula narratur.*

Vnum præparatur, alterum intelligitur; semper enim allegoriam seu similitudinem Philosophi in his presupponunt. Hinc Author Aurora, cap. 18. Quidam, inquit, Philosophorum hanc diuinam scientiam herbis, radicibus, arboribus, floribus, & aliis diversis vegetabilibus, nec non succis eorum & fructibus similitudinariè comparauerunt. Et paulò pòst: Nota, quòd omnium predictorum nomina sunt posita similitudinariè in hac excellentissima scientia.

Est quidem in Chelidonio sitcus aurei coloris, in medicina non irritilis; at in Chymia locum non habens: Non enim cum Achille aut Triptolemo didicit ignem tolerare, ac sub carbonibus viuis seu pruniis noctu iacere: vnde ignis eius elementa facile separantur, omne humidum, aquatum, aërum & igneum resoluens in fumum, ac terram adurens in cineres inutiles.

S A B A.

**ENIGMA  
181.**

*Faba Ægyptia seu Colocasia quid habet commune cum Chymicis tractationibus?*

S A L O M O N.

**Ioh. Chrys.** Quidam Pythagoram citans testatur, eum Ouum Philosophorum vocasse Fabam Ægyptiam; quod non sine causa verum existimo: Pythagoras in totâ vitâ ab iis fabis abstinuit, tanquam sacrâ animâ mortaliū sedibus; vnde à sicariis quæsus ad mortem fugisse dicitur usque ad agrum fabis consitum, quem non aitius fuit tangere, dicens: *Satius est mori, quam fabas conculcasse*: Putauit enim ille, ut etiam Ægyptij, animas in cauitate fabarum stabulari, ideoque si quis comedisset eas, animas suorum proauorum absumere. Sed ex aliis circumstantiis probabile videtur, per Colocasiam intellectum subiectum philosophicum, quod, ut faba, exterior nigrum, interior rubeum est. Ad hæc Colocasia glebae terræ inditur, & sic in aquam proiecta, inde prouenit: Aquas enim amat, & loca palustria, & humida, nec non Solis aestum, veluti & ouum philosophicum, quod in fimo excludendum erit.

S A B A.

**ENIGMA  
182.**

*Subodorata sum quid de Moly herba apud antiquos Poëtas celebrata; Anne hæc aliquid Chymicæ proprietatis in se habet?*

S A L O M O N.

Quin tota Chymica est, qua Ulysses usus dicitur contra veneficia Circes & Syrenum pestiferas cantilenas: Reperta creditur à Mercurio contra venena maximæ efficaciæ, cuius copia sit in Cyllene monte Arcadiæ, Mercurij loco natali, vnde illæ Cyllenius nominatur: Ve-

rūm

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 127

rūm nos intelligimus, per Mercurium, mineralē illum seu metallīcum notari, & per Moly, sulphurā Mercurio eiusmodi solutum, quod non sinit artificem Vlysslem aliorum scriptis aut sermonibus sophistis & deceptoris aures & mentem præbere. Vnde Hesiodus detestatur, quod ignorant homines, quantum emolumenti sit in Moly & malua. Malua verò est ex humectantibus & parum refrigerantibus, ut Mercurialis, & Moly contrariae qualitatis, calidæ & siccæ; in quibus tota Philosophia occupata est.

S A B A.

*Quid de Glaucione herbasentis, qua pisces creduntur* ENIGMA  
prius mortui in vitam rediisse, & aquam repetuisse? 183.

S A L O M O N.

Glaucus piscator, repertor huius herbæ perhibetur, à quo & nomen obtinuit; Hic cùm eandem gustaret herbam, immortalis factus dicitur, ingressus mare, inter belugas marinas degisse. Idem Argonautis viam monstrauit.

S A B A.

*Sunt multi, qui flores variorum colorum arte facere* ENIGMA  
*vel tingere præsumant, quantum illis fidei adhibendum* 184.  
erit?

S A L O M O N.

Quantum experientia monstrat aut doceat. Esse eiusmodi mangonia in natura, non est dubium; attamen homo id, quod naturæ aduersum est, nunquam illi conciliabit, adeò ut generatio ex vitroque fiat. Mineralia mineralibus, & vegetabilia plantis gaudent, & facile consociantur, at non diuersa genera: Vnde frustrà cum minio vel cinabari quidam bulbos liliorum alborum imbuunt, vt lilia inde nascantur rubea. Nihil enim commercij est his coloratis corporibus mineralibus cum radicibus plantarum. Videre tamen licet lilia flava, arantiorum coloris, cærulea; sic rosas flavae & bellides virides; sed haec omnes species sunt inter se differentes, quod ex frutice & foliis, stipibus, radicibusq; dignoscitur.

S A B A.

## SABA.

Satis de Floribus hortorum dixisse nunc videor; Quocirca Agro relinquam locum, qui & medicinales & alimentales profert plantas, tantum homini utilitatis praestantes, quantum illi iucunditatis.

## HYRAMVS.

*De Agro.* Multum voluptatis ex vestro de Hortorum muneribus colloquio captaui; De Agris verò quid quæram? vbi incipiam? vbi finiam? Obmutescendi potius necessitatem mihi impendere arbitror, quam eloquendi, ob copiam, varietatem, admirabilemq; naturam vegetabilium in agris prouenientium: Præsca ætas paucis contenta, vixit glandibus & radiculis, pomis & fructibus: Sequens inuenit vsum frumenti, hordei, tritici, aliorumq; leguminum: Hinc panis, cibaria, potus, pastæ, & his similia, quibus huius vita penuria indiget. Ne verò ex immensis agri donis plurima simul tractemus, & inter se confundamus, totius nostræ disquisitionis ambitus circa hæc duo saltē versabitur, quorum Philosophi integris libris & tractatibus meminere, nempe Triticum & vinum, optima vitæ mortalium solatia & nutrimenta, dummodo, Rex Serenissime, hoc tibi non ingratum accidere cognovero.

## SALOMON.

Discretione tua, Optime Princeps, in loco & tempore probè vteris: Ego me accommodabo facilimè tuæ voluntati, quæ in iam dictis ad eò recta & beneuola est, ut nullius admonitione indigeat.

## HYRAMVS.

Exspaciemur nunc in agros, & instar agricolatum obseruemus tempus sationis idonëum, num vox audita turturis, & vites colèdē sint:

*Tritici inuentio, & primus cultus, cui tribuitur?*

## SALOMON.

Ethnici allegoriis Poëtarum Chymicorum seducti, Cereris omnium frugum, ut & tritici, inuentionem tribunt: At quam verè, ipsi viderint. Ceres in genealogia Deorum Saturni soror est, mater Proserpinæ ex Ioue genitæ. Hanc Pluto, Deus inferorum, opum, & metallorum, rapuit. Hinc Cereris luctus, dolor, lachrymæ, & per omnes orbis partes peregrinatio, ut quid certi de statu & mansione filiæ inquireret. Intervixit Dea mœsta Pelopis humerum comedit, cui reliqui Dii eburneum iterum

iterum adaptarunt, & coctum ad ignem in lebetibus vitæ iuuuenem restituerunt. Deinde & Eleusio Regi Triptolemum recens natum puerum enutriuit, quem interdiu lacte aluit, noctu sub ignibus occultauit; vnde puerο ingens robur quotidie accreuit, patri verò suspicio de tanto incremento, qui postquam Cereris nutricis educationis modum clām obseruasset, Dea irata, patre necato, filio currus cum draconibus volatiles dedit, quibus ille insidens mortalium genus frumenta, triticumq; in terram seminandi modum doceret. Hæc antiqua simplicitas credidit, & pro articulo suæ Theologiæ, nullo contradicere auso, recepit: O cœcitas, ô superstition! quid humana pectora obnubilas, vt Deum verum non sentiant? quid oculos mentis glaucomâ obducis, vt veritatem nullam videant? Cessarunt, Deo sit laus, in Christianis populis hæc deliria & ludibria, luce veritatis exortâ, Christo Iesu. Ex Sacris literis nouimus, primum hominem natum in hunc mundum, Cainum fuisse agricolam, frugumq; utilitatem, Deo absque dubio monstrante, agnouisse: Et contrâ Cererem nec Deam, nec hominem fuisse vñquam, nempe talem, quæ ei a scripta peregerit, sed saltem fictionem allegoricam, à Poëtis sapientibus & occultæ Chymiæ non ignaris, textam & introductam, vt se inuicem concij agnoscerent, Deiq; donum sibi gratularentur, ac interim mundus ignoraret, hoc est, communes populi, docti vel indocti non perciperent, quid tegeretur, quâ de re ageretur, quod eiusmodiars foret possibilis, & quibusdam in vsu posita, quid simularetur, aut dissimularetur. Verum nos alibi copiosius hosce laruatos, non deos, nec homines, sed ex erroribus errores refutauimus; quocirca hîc breuiores sumus.

## HYRAMVS.

*Donum esse Dei triticum, nullus sanæ mentis negare* ENIGMA  
*poterit, sed ita hominibus patefactum eius usum per Ceres* 186.  
*rem aut Triptolemum, omnino fabulosum, & rationi &*  
*experienciæ aduersum est: An homo currū per aëra volare potest?* *An dracones sunt volatiles, qui currum trahant?* *Neutrū opinor: Vnde oportet antiquos sapientes*

R

nugas

*nugas tractasse, & ad nos seros suos posteros transmisisse, pro Theologia, pro veritate & rei gestæ historia: Quid igitur censes at auos illos nostros intellexisse per Triptolemi sub igne indurationem, eius currum volatilēm, dracones, & frugum seminationem?*

## SALOMON.

Rectè interrogas: Nam sub his esse physica arcana, tamquam in ar-  
câcta, non est dubium. Sileat, qui rustica opera, omnibus nota, hîc  
contineri affirmet. Non audiendus, qui ad mores talia & tanta decli-  
net. Ridiculus est, & valde rudis, qui ad alia, quām Chymica subiecta  
transferat. Triptolemus itaque materia est philosophica, quæ eo mo-  
do in igne tractatur; Post hæc ita præparata accipit dracones volati-  
les, id est, in finum philosophicum ponitur, & hic semen seu sulphur,  
fixum docetur in suum proprium agrum seminari: Hæc nemo, nisi  
ignarus, negabit: Vnde patet, quod sub seminatione tritici in terram  
arstam veteribus, quām recentioribus occultata sit.

## HYRAMVS.

**ENIGMA.** *Quinam ex Philosophis meminerunt huius agriculturæ  
187. philosophicæ?*

## SALOMON.

Ferè quotquot sunt ad vnum omnes particulatim; At Rosarius:  
Minor, Iod.Greverus, & Author Tractatus Nom. Weyzen. Vânni-  
kin/ ex professo & vniuersim. Testimonia in libris omnibus sunt ob-  
via, quæ non citamus.

## HYRAMVS.

**ENIGMA.** *Quis igitur progressus erit ab initio ad messem auream?*  
188.

## SALOMON.

Semen eligendum maturum, corpulentum, integrum, non nimis  
verustum, quod purgatur per ventum à paleis leuiculis, per cibrum  
ab aliis sordibus & lolio: Hic artifex mox ad suum semen respiciet, &

quæ-

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 131

quæret, ubi hoc sit? Respondeo, in medio mundi, in omnibus finibus & lateribus, in superficie, ubiunque aquæ locus, argenti viui sedes, sulphuris mansio est: Non opus est nostrum lapidem ex Indiis appor-tare, cuilibet ante pedes proiectum, visum, tactum, auditum, si modò Campanæ visus, ut in Turcia, non sit denegatus: Est enim æs & Ilaton, Venus & Latona, Apollo & Diana, est Iupiter; quia hæc omnia & singula sonitum Harmoniæ edunt, qui tamen absque Marte agente non auditur; Excludatur Saturnus unus & solus, sed hic tantum turbæ da-bit, ut præ omnibus admittendus sit: Aquarius est hic loripes; qui, pluviâ deficiente, deducit ritos aquæ dulcis in sribundos agros.

H Y R A M V S.

*Quid deinde agendum, semine nostri tritici præparato?* ENIGMA  
S A L O M O N. 139.

Similiter terra seu aruum præparetur, cui mandandum sit hoc se-men, per arationem, carduorum extractionem, glebarum attritionem, cylindro explanationem, & eiusmodi similes operationes: tum semen in eam terram, antè optimè lætificatam, spargendum erit, & occatio instituenda, aues terriculamento arcenda, & expectanda pluvia, Solisq; calór, vnde incrementum sequaturex Dei benedictio-nis. Sic ex uno grano, quinquaginta & plura proueniunt. Plinius ait, *Plinius.* Byzantium Africæ campum centenos quinqua genos tritici modios reddere, & testatur missa Augusto ex uno grano quadringenta, paucis minus, germina, & 349. stipulas Neroni ex uno grano: Leontini Sicilia campi centum dedere. Fuere autem tritici feraces, in primis Betica & Ægyptus, quarum aristæ plerumque centum grana egerunt. Cicer-o Siciliam horreum populi Romani vocat, quæ sapè maximos pa-Sicilia hor-uerit exercitus. Hinc ortam fabulam putant de Cerere, quæ ibidem reum popu-fruges & modum arandi commonstrasse dicitur. Falcem quoque Sa-li Rom. turni, quâ patri Cœlo virilia amputârit, in Siciliam delapsam aiunt, propter agrorum Siculorum vberimas meses. Homerus scribit, tem-plum Cereris fuisse in Pyraso vrbe Phthiæ, propter copiam frugum eius loci. Sic Thracia frugum fertilis, Sardinia, Hispania, & ipsa Italia est, quam Plinius lib. 3. cap. 5. vocat terram omnium terrarum alu-minam, & Virgil. lib. 2. Georg. inquit de ea:

*Salve magna parens frugum Saturnia tellus.*

Babylonia conditio. Herodotus Babyloniae fertilitatem laudat in Clio, vbi inquit: *Hæc regio omnium (quas vidimus) optima est duntaxat ferendo frumento. Nam in arboribus ferendis, vite, olca, nequaquam de principatu contendit: Cereris autem fructu procreando, adeò ferax est, ut nunquam non ferè ducentareddat: Et ubi prestantis bonitate se vincit, etiam ad tricena quaternum ferè digitorum latitudine triticeis atq[ue] hordeaceis foliis.* Hæc est magna anni corona, qua Deus ex immensâ bonitate suâ quaslibet terras & regiones coronat, has magis, illas minus. Quidam de Philosophorum agris dicemus? An non & hi ducenta aut trecenta grana reddunt prouno? Imò sunt qui mille attestantur; dummodò agri cultus ritè sit institutus. Nam & nostrum semen in suam terram coniiciendum erit, quæ priùs aretur, emolliat, frangatur, explanetur, & postea occetur, & subuertatur, ut bona & naturalis fiat mixtio; ac deinde Dei benedictio expectanda est, additis, quo ad opus, aquâ & igne, hoc est, rore & calore: His natura sui officij non oblita, ut nec in tritici productione, protrudet germen ex terra, hoc est, cor embryonis vegetabilis & mineralis efformabit, ex quo deinde aliæ atque aliæ partes singuntur. Hoc est, de quo sæpe dicitur apud Philosophos ac Mariam, quod corpus fixum sit de corde Saturni: huius enim color in cordis efformatione omnium primò apparet, in quo conceptio & imprægnatio iam facta est.

## HYRAMVS.

Verissima sunt, Sapientissime Rex, quæ eloqueris, quamuis captum humanum longè superent: Si miremur opus philosophicum, eq[ue] difficilem adhibeamus fidem, qui ab experientia non edocti sumus, cur non potius messes triticeas, quas Deus ex horreo suæ omnipotentiae & benignitatis quotannis instituit, nobisq[ue] donat, admiramus?

Ros phil. in Met. Belini:  
Quando seminatur vnum granum frumenti, nascitur, multiplica-  
tur, teritur, uentus fit annuus, & commune rusticorum opus, toti mundo cognoscitur, & contrà tincturæ generatio rarissima, & paucissimis in mundo & fit panis, Philosophis explorata: tamen ea dona æquè stupenda sunt, quam ex quo viuit totus mundus. Hæc, imò magis necessaria & utilia. Laudemur itaque sublimis Deus in suis operibus, qui huic vitæ tantum bonorum suppeditat, vt non solum

QVAR TA DIES: DE VEGETABILIBVS. 133

lum agi, sed etiam bene & iucundè agi ab homine possit. Sed ad rem:

*Quantus calor huic tritico philosophico, ut feliciter crescat, adhibendus est?* 190.

S A L O M O N.

Turba, cæteriq; Philosophi, volunt in hoc imitandam naturam; quæ calorem auget, seminibus aliquatenus in segetes producunt: Animaduertimus enim, quomodo in initio Veris, in his nostris regionibus, frigus temperet calore, & pluuiam siccitate: Tum Sol ad Äquatorem accedens, hyemem excludens, anni noui vices incipit generando vegetabilia, & lucem æquando tenebris: Aries nec calore, nec frigore furit, sed mitis & æquus est nascentibus oleribus, herbis, floribus, graminibus, & foliis arborum: Hunc sequitur Taurus tepidior & efficacior viribus, qui parum ab Äquatore versus nostrum verticem in meridie declinat; Hic Hyadas imbriferas & Pleiadas secum dicit, vnde Aprilis in constans nunc ridet radiis Solaribus lucentibus, nunc flet, pluuiis cadentibus, & non raro grandinibus & ventis tonat: Hunc sequuntur Gemini, magis humani, Taurinam faciem asperam non ostendentes, sed læti Veris, Maiiq; iucunditatem:

*Ovinia tunc rident, tunc formosissimus annus;*

In hoc oculi recreantur varietate florum & herbarum, nares eatundem odoribus, palatum & venter oleribus recentibus, aures lusciniae, cuculi, aliarumq; auium cantilenis, & variis vocibus, quas calor inuitat, & solum cœlumq; diuinæ laudes tacere non permittit: Abhinc Cancer est, Lunæ Basilica & sedes ordinaria, quam à Sole marito inter Iodialia sua bona & castra accepit: Hic Sol in culmine suo sistitur quidem, at calor tamen summus nondum adest, qui sequitur in Regulo seu corde Leonis.

H Y R A M V S.

*Cur contra axiomata naturæ calor Solis in Cancro non est maximus, in quo maior radiorum eius rectitudo terris communicatur, propior ad verticem nostrum accessus, longior ab Äquatore remotio seu maxima declinatio est, sed in Leone, in quo hac omnia sunt diminuta?* 191.

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
S A L O M O N.

In Leone Sole eleuatus, tanquam in throno suo, consistit; inde vires efficaciores in terram exerit, quod ob moram supra terram continuatam potius accidere, quam alias ob causas, superius in Prima Die discursum est. Considerandum tamen, quod habitantibus intra Äquatorem & Tropicum Capricorni, sub Virgine Sol verticalis est, maiorque calor, qui inde ab Ariete eò usque increscit; & quod Triticum philosophicum sub illa zona mundi nasci presumatur. Ut enim triticum, quod maturius fuerit, eò plus caloris requirat, donec à messoriis demetatur in Septembri: ita & opus philosophiae calorem auctiorem admittit, donec ad maturitatem perueniat.

## HYRAMVS.

**ÆNIGMA**

192.

*Quis color tritico philosophia maturo, et quod signum eius perfectæ coctionis?*

## S A L O M O N.

Rubedo supereminens, quæ post varios calores præcedentes sequitur: Primò in Leone viridi adest humiditas mollis & aquosa, quæ indies magis & magis absunitur usque ad Leonem rubeum, & siccitas cum calore ( quæ tingit ) subiecto inducitur: Illa solutio, hæc coagulatio est, quamuis hæc non fiat absque illa, nec illa absque hac in toto opere: Rubedo iquenum color est, albedo & canities senum; cumq; noster lapis primò sit albus, vltimò rubeus; hinc senex est, antequam iuuenis, ut Rhasis in Epist. *Lapis scientia nostra, inquit, senex primò, & vltimo puer;* quia albedo eius in initio, & rubedo in ultimo cum dominio.

## HYRAMVS.

**ÆNIGMA**

193.

*Vnde illa rubedo excoritur, ex quibus qualitatibus vel elementis?*

## S A L O M O N.

Rubedo tingens nihil aliud est, quam ignis accensis potentialiter in Mercurio, hoc est, in terrâ & aëre Mercurij, ut vim ille acceperit persuadendi & maturandi omnia imperfecta metalla, inq; aurum transmutandi.

HYRA-

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 135  
HYRAMVS.

*Estne multiplicatio tincturae, ut tritici?*

ÆNIGMA

194.

S A L O M O N.

Eadem & adhuc longè maior, vt superius attigimus; Vbi enim triticum dat centena, lapis millena profert in infinitum. Et veluti toties preparanda terra est, quoties seminandum in eam fuerit triticum; sic quoque fit in magisterio nostro. Leo viridis quotannis parit leunculos, at non sine Leone mare: Terra philosophica fœcunda est; at non sine igne aërio, & iterato labore.

H Y R A M V S.

*Quot sunt partes arbusculæ triticeæ?*

ÆNIGMA

195.

S A L O M O N.

Tres, radix, culmus, & spica; Radix reliqua sustinet, vt fundamen-  
tum in domo, epar in animali venas; culmus, vt parietes seu cor; spi-  
ca, ceu rectum & cerebrum est. Hæc sunt corpus, anima, & spiritus, sal,  
sulphur, & Mercurius. Tria nomine & in principio, re & in fine vnum  
individuum.

H Y R A M V S.

*Triticum tegitur & defenditur à paleis seu aristis, ne volucres id abhumant, & vacua relinquantur horrea, an tale quid est in magisterio?*

ÆNIGMA

196.

S A L O M O N.

Plus nimio: Imò apud permultos Philosophos vix duo grana bo-  
ni tritici inuenies, & integrum modium palcarum, si illorum libros  
perlustres, idq; ob inuidiam aduersus corniculas & monedula lo-  
quaculas, quæ voracitati indulgent, hoc est, contra maleuolos Sa-  
turnos, morosos Eucliones, gloriosos Thrasones, & bellicrepas Py-  
gopolynices.

H Y R A M V S.

*Sed relicta paleis, ad lac terræ, quod est Vinum, trans-  
fimimus:*

ÆNIGMA

197.

bimus: Hoc est solarium mærorum, refectorium senectus  
tis, gaudium iuuentutis, medicamentum doloris, seu Neo-  
penthes: Cui illius inuentio ascribitur?

S A L O M O N.

Osiridi apud Ægyptios; Dionysio apud Græcos; & Baccho apud Romanos; qui quoque sunt vñus & idem rebus & factis in allegoriis: Omnes hi à suis finguntur in Indiam penetrasse cum exercitu, populosq; cunctos sibi subdidisse, quibus vinum & vitium cultum monstrarint, humanioresq; ritus barbaris indicarint. Varij illis itinerum comites assignantur, vt sunt Syluani, Satyri, Panes, Silenus, Musæ, & multialij ad levitatem, risus, lusus, saltus, & iocos proni. Amphisbæna, duplice capite serpens ab eo occisus, & innumera alia præstata quasi miraculosè dicuntur. Sed nihil aliud his figmentis Dionysiaca indicatur, quam humidior pars lapidis, quæ soluit, mollit, & humectat partes sicciores & compactas eiusdem. Hec vinum inuenit Bacchus, Dionysus, vel Osiris, hoc idem docuit mortales, id est, artifices. In huius gratiam Trieterica seu Dionysiaca festa Athenis & alibi in Græciâ instituta sunt, Orpheo authore, vt Eleusinia in Eleuso, prout lib. 4. Hieroglyph. satis demonstratum est, & lib. 3. sub genealogia Bacchi.

HYRAMVS.

Revera igitur Bacchus non est inuentor Vini?

S A L O M O N.

Neutiquam; cum constet ex sacris, Noachum primas coluisse vi-  
neas, qui est pater & propagator hominum huiusc post diluvium  
mundi: Non igitur Dionysus erit primus vini cultor, qui quando vi-  
xerit, ignoratur; nisi quod in seculo Heroico primarius inter Deos  
fuerit, miraculosè ex ventre suæ matris Semeles, Cadmi filiæ, eruptus,  
& matre combustâ Iouis fulmine, in patris femur insutus, usque ad  
tempus nativitatis completum. Quæ omnia allegoriam (non autem  
historiam) sapiunt: Noster enim fœtus seu Dionysus extrahitur ex  
suo subiecto, hoc est, Mercurius ex Mercurio, sulphur ex argento vi-  
vo, & inditur in matricem masculam usque ad maturationem; hoc  
est, solutione peractâ, coagulatio à masculo perficitur. Dum enim ni-  
grum est, obscura fœmina dominatur in aquosa humiditate; at post-  
quam

**QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS.** 137

quam albefactum fuerit, mas ipse dominium ad se transfert, nec sinit amplius muliebre imperium dominari supra virum.

**HYRAMVS.**

*Quot sunt gradus tractationis vini, seu eius spiritus* **ENIGMA**  
*educendi?* **199.**

**SALOMON.**

Tres: Primus circa vites, vt dent vuas: Alter circa vuas, vt dent vi-nū: Tertius circa vinum, vt det spiritum. Eodem modo circa sub-iectum philosophicum ternæ sunt operationes vniuersales: Prima ad mineræ præparationem: Secunda ad solutionem: Tertia ad coagula-tionem: ex quibus singulæ subalternas operationes agnoscunt.

**HYRAMVS.**

*Quomodo lapis assimilatur tractationi circa vites?*

**ENIGMA**

**SALOMON.**

**200.**

Surculus seu propago in extremitate conquassata inseritur terræ, & protrusis radicibus primò dabit gemmas, deinde germina, post vuas: Gemmæ nascentur ex surculo, germina ex gemmis, & vuæ ex germi-nibus: Ita surculus philosophicus suæ terræ immittitur, & hoc est Re-bis seu compositum nostrum; cuius gemmæ sunt, gagates niger, in ni-gredine, germina in albo colore, & vuæ in rubeo. De vino Rosinus ad Sarrat. meminit, *Si dilectus meus, inquit, de riuulo, id est, aqua rubra petra, id est, oleo Solari, potauerit, & de fonte matris suæ, id est, aqua Mercuriali, Luna gu-stauerit, & vino rubro, id est, calore & oleo affinis nostri, id est, Solis, vnius generis existentis, mecum inebriatus, donec totum opus vertatur in terram, &c.* De vite sapientum, eiusq; Iucco, Hermes; Et scito, inquit, quod vitis sapientum succus in quinto extrahitur; Eis quoq; vinum in fine 30. peragitur. Intelligite proportionem: Decoctione namque minuit, tinctura autem augmen-tat; hoc est, initium & finis.

**HYRAMVS.**

*Quid circa vini expressionem considerandum?*

**ENIGMA**

**SALOMON.**

**201.**

Eodem modo succum vuæ philosophicæ exprimi, vt iam ex Her-mete adductum est.

S

**HYRA-**

ENIGMATA  
202.

*De Spiritu Vini extrahendo lubens quid audirem, cui  
et hoc opus assimilatur.*

## SALOMON.

Natura producit vinum pro diuersitate loci & caloris diuersum, Rhenense, Lymphatum, Italicum, Græcum, Hispanicum, & Canarium, quorum vnum fortius & merarius altero, quia plus spiritus calidi, à Sole ipsis impressi, continet; ita ut aliquando libra vini habeat unciam spiritus, aut quadrantem vel trientem; vix altius natura vini adscendit, ut opinor. Accipitur vinum naturale, & destillatur, ut moris, in spiritum per Alembicum, ut materia aquosa & fœculenta maneat in fundo. Hic spiritus ex omni genere vini habetur in maiore vel minori quantitate, ut dictum, expers omnis aquositatis, licet sit in subiecto actu humido: Non autem nasci potest per naturam simpliciter talis spiritus, licet per naturam in commixtione aquositatis natus sit; sed necessum est, si haberri optetur, ut per artem extrahatur. Sic subiecta Mercurialia sunt varia, quæ metalla ac mineralia dicuntur, corpora & spiritus; at ex uno plus spiritus tinctoris extractus, quam ex alio, prout hæc sunt cruda, minus aut magis cocta. Accipitur igitur in suo genere minera perfectior, & distillatur, veluti oleum succini flavi fieri solet, adiecitis fæcibus seu lapillis requisitis in debito pondere; & sic ut spiritus vini sursum, sic tinctura auri deorsum contendet, cum ille sit adeo leuis & tenuis, ut etiam effusus ex vase evanescat in aerem, antequam terram attingat; hic vero adeo ponderosus, ut auro præpondaret, & grauioribus mundi corporibus. Eadem est distillatio vini & lapidis, sed centra virtusque sunt diuersa; secundum quorum varietatem singula sunt accipienda.

## HYRAMVS.

ENIGMATA  
203.

*Estne similitudo inter tincturam, cor humanum, &  
vini spiritum?*

## SALOMON.

*Est valde concinna, cuius Basilius Valentinus quoque, multiq; alii  
Philos.*

## QVARTA DI<sup>E</sup>S: DE VEGETABILIBVS. 139

Philosophi meminerunt: Tres hi sunt Soles, seu Apollines, nempe magnimundi, parui & terreni, quorum unus alteri vires suas communicat, & infundit, à superiori facto initio: Sol cœli lampas, diurna, fugator umbras & frigoris, dominus viræ, suos radios mittit in centrum terræ, ibiq; filium gignit, incognitum nec vicinissuis, in honoratum etiam amicis vel consanguineis, innominatum artificibus. Huic patrimonium relinquit, non boves, vt Augiæ Solis filio; sed vellus aureum, vt alteri filio eiusdem Ætæ, hoc est, efficaciam aurificandi vel tingendi metalla imperfecta in aurum, & sanandi ægros inter homines: Atque sic Tinctura cor quoque hominis respicit: Vtrumque & cor & tincturam vini spiritus, vt communem amicum, amplectitur, tam huic, quam illi acceptissimus; unde nexus fit ex eteris vinculis in uno nodo, qui non facile est dissolubilis, nempe ut vniuantur tinctura, spiritus vini, & cor humanum; ex quibus illa Regina est, habens in se omnium herbarum potentiam, quam spiritu in uochit temperatissimo in hospitium cordis humani, ubi manens inter amicos, aliquamdiu gratissima est in hospitem, dum ægros illius subditos quoscunque curat, & sanitati optimæ restituat.

## HYRAMVS.

Hæc ut verissima sunt, sic mentem iucunditatem singulari perfundunt: Verum ut

*fit modus in rebus, sint certi deniq; fines,*  
hic subsistendum mihi reor: Maior est, Rex, tua prudentia, quam sat celebrari, maior humanitas, quam dici, maiorq; beneficentia, quam exprimi possit.

## SALOMON.

Pratorum cultus nunc est euoluendus, quatenus nostro proposito De Prato. correspondebit: Prata dant gramina pecoribus, unde carnes & lactescinia petuntur ad alimenta hominum: In his viridis color, vt vestis annua, cernitur, quâ tot graminum & trifoliorum genera luxuriant: In his delectabiles oculisq; gratissimi tapetes à Natura expansi cernuntur, in quibus Nymphæ cum Gratiis choreas ducunt: In pratis ciuilius

*sepeliu*s* somnos suadebit inire susurro,*

qui serpentis instar nunc hanc, mox illam oram lambit, seq; in variis flexus & reflexus insinuat: In pratis Satyrion, Scylla, multaque alia herbarum & radicum genera nascuntur, ad medicinam requisita: **Pauca circa hæc querenda sunt à te, Regina;** videlicet **ENIGMA primò de Trifolio, anno non hoc lapidi, qui triangularis est,**  
204. **afsimiletur?**

## S A B A.

Rhasis in Epist. Noster lapis, inquit, triangulus est in esse, & quadrangulus in qualitate, non aliam ob causam, quam ut ternas in eo essentias unitas, & quatuor qualitates aquatiles demonstret. Ut itaque trianguli, sic quoque Trifylli idem repræsentat: Vidi tres facies in uno patre, ait Hermes; quod idem est, tanquam tria folia ex uno obseruari propagata, quæ & promonade & pro triade haberi possunt: Deinde Trifolium & albi & rubri est coloris, ut lapis, floresq; mellitos producit, apibus prædulce pabulum in præsepiibus ordine dispositum: Ad hæc Trifolium semen suum circa radicem habere narratur, ut regenerari possit de nouo etiam post fœnise cia: Ita & subiecto philosophico suum semen in profundo absconditur, ne facilè à prædatoriis rusticis, & sophistis furacibus, hoc est, ignariis & deceptoribus eruatur, aut demetur: Alij radicaliter hoc inuestigantes, sua spe vix frustrari poterunt.

## S A L O M O N.

Cùm Virgilianus opilio dicat; quòd

*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis;*

multæq; herbae in iis reperiuntur, quæ occultæ proprietatis sint in superstitione magica, quid de illis sentias, audire aueo: sunt enim hæc adeò arcana, & inexplorata, ut admirandum sit, nil certi in tanto annorum numero, quibus mundus hucusque durauit, esse de iis cognitum: Opinionum magna est diuersitas, quibusdam nimium, quibusdam minimum Magiæ attribuentibus: Suntemus, qui magos nil tale facere, nec exportari ad loca remota corpore, arbitrentur, sed saltem imaginatione duci & falli: Hinc omne iudicium de magis & beneficis suspendunt: Alij secus censem, quibus ipse assentior; **Quæ itaque herba**

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 141  
herbae magicae apud antiquos commemorantur, & quid  
illis tribuitur?

### S A B A.

Referunt Pythagoram nominasse Coraceiam, Calliciam, Menai-  
dem, Corinthadem, & Aproxin: Primis duabus aquam subito gla-  
cia: i & concrescere fama est: Corinthadis decocto in aqua, protinus  
fanari serpentum venenatorum morsus, si eo foueantur. Eundem  
succum effusum in herba, si quis vestigio conterit, aut si eo forte re-  
spergatur, insanabilem perire. Democritus has connumerat herbas  
veneficiis aptas, Chirocineta, Aglaophotin, Marmoritin, Achemeni-  
don, Hippophovada, & Alamantida: Marmoride usus fuisset magos,  
affirerit, dum vellent euocare deos, & aëris genios, ac dæmonas, & eos  
allucere, ad responsa fatidica reddenda. Achemenidis radices in pâstil-  
los redactas, si sontes & rei interdiu cum vino potent, per cruciatus  
noctu confitentur omnia, quæ commiserunt, quæ per tormenta ex-  
torqueri non poterant. Plinius lib. 26. cap. 4. Ethiopide, inquit, herba  
annæ & stagna siccari coniecta, tactu clausa omnia aperiri. Achemenide coniecta  
in aciem hostium, trepidare agmina, ac terga vert. re: Latacen dari solitam à Per-  
sarum Rege, Legatis, ut, quocunq; venissent, omnium rerum copiâ abundarent.  
Hæc ex multis pauca sufficiunt, in quibus nullam vim naturalem talia  
causantem adesse suspicamur, sed iis, tanquam subiectis propriis, spi-  
ritus malignos alligari, qui dicta hyperphysica peragant ad magi pla-  
citum: Idem sentiendum de aliis eiusmodi mediis & ceremoniis, qui  
bus utuntur magi, & veneficæ: Quod corporibus loca mutant à spi-  
ritibus portati per aëra, innumerus exemplis constat eorum, qui in initi-  
nere à Dænone expositi, vel ab alto deieci sunt; Quod quoque ima-  
ginatione & somno detenti corporibus maneant in certo loco, & spi-  
ritus à spiritu in loca remotiora interim ducatur, & hoc videtur ab ex-  
perienciâ probari.

### S A L O M O N.

Sed his relictis, ut & Pratis, ad Arboretum me confero, in quo de- De Arbo-  
ambulatio sub umbra iucundior est: In hoc homo lapsus peccatum reto.  
& perpetrauit, & agnouit, simulq; promissionis Euangelicæ particeps

S 3 factus

**ENIGMA** factus fuit: *Quid Princeps Sagacissime sentis de sylua Nemea, in qua Hercules Leonem occidit?*

206.

**H Y R A M V S.**

Leonem Nemeæum qui agnoscit, nec ipsum dicta sylua latere potest: In hac enim ille vagatur, & magnas in homines & pecudes laninas exercet: Ferus est, & atroc, insignis magnitudinis; sylua autem vasta, & inuia, in qua se abscondit: Quid igitur faciendum? Aiunt, Leonem ignibus terrefieri, quemadmodum & reliquias beluas: Vnde hoc medio interimendus erit: Sylva tota cingatur ignibus, & circumcirca arbores incendantur: sic remotâ vastitate latibulorum Leo facilè captabitur, aut iugulabitur, seu ad minus cur reddetur.

**S A L O M O N.**

**ENIGMA** Spectatne Sylva ad opus philosophicum?

207.

**H Y R A M V S.**

Imò, est potior pars eius, sine qua nec nigredo, nec albedo, nec rbedo apparebit. Viriditas enim huius syluae, ut pote color inter extre mos medius, mirabilis est in nigrum, album, & tubeum.

**S A L O M O N.**

**ENIGMA** Sed unde hic Leo in hanc syluam peruenit?

208.

**H Y R A M V S.**

Sunt, qui dicant, ut antè relatum est, eum ex Luna decidisse, quod suo respectu verum esse non negamus; At hic fatendum est, quod in ipsa sylua sit genitus, & hæc illi quasi mater sit: Nam & hæc sylua Lunæ dicata est, & ex ea, veluti Leo, originem trahit; hoc est, à Lunaregitur, & regitur: pleræque enim arbores eius sunt Lunariæ.

**S A L O M O N.**

**ENIGMA** *Quid de Martis luco censes, in quo Aeta Solis filius*

209.

*vellus aureum suspendit, vitoribus periculorum auferendum?*

**H Y R A M V S.**

Mars, ut & Sol, habuit suos lucos apud Poëtas, qui eiusdem sunt intentio-

## QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 143

rentionis: Sol seu Apollo, vt boues suos in iis pasceret; Mars, vt oves seu arietes, qui Martia assignantur: Non abs re itaque dicitur, quod Arietis vellus a Mercurio deauratum, suspensum fuerit in nemore Martis: Mars enim in alta lancea illud exponit, tanquam Tropaeum bello partum, praeliis cum feris debellatis obtinendum: Et sic Lupus deuorat siue Regem, siue Leonem, seu Arietem, vt nil nisi pellis eius aurola remaneat, quam concoquere nequit: Praestat autem Mars hoc officium Aetate, Solis filio, quod vellus illud in suo nemore seruet, ne a prædatoribus aut furibus auferatur, vel infestetur.

## S A L O M O N.

Huc spectant arbores Hesperidum, aurea gestantes ENIGMA  
210.  
mala; Qua tua de illis est sententia?

## HYRAMVS.

Per Arbores intelligo continens, & per Mala aurea, contentum: Illæ sunt matres horum, vt Leo viridis Leonis rubei causa existit. Eadem hinc mens, quæ de vellere aureo; Mele enim & pomum & ouem Græcis denotat. Verum quia huius allegoriae expositio alibi copiosius facta est, & sepius inculcata; hinc eam mittimus.

## S A L O M O N.

Quid de Vlmo loquace Gymnosophistarum sentis? ENIGMA  
211.

## HYRAMVS.

Gymnosophistæ antiquitus in Aethiopia Collegium Philosophicum habuerunt, subq; Vlmo conuentus suos celebrarunt, quæ arbor magica, vt opinor, vi Daemonum obsessa, inclinavit ramos suos ad aduentum peregrinorum, eosq; voce tenui & fœminea salutauit, vt patet circa Apollonium Tyanæum eò aduentantem. Nulla hinc estratio naturalis, sed proflus hyperphysica, quam indagare, non est nostri instituti.

## S A L O M O N.

Audiuitine unquam de arbore Casta, cuius meminit ENIGMA  
Theo  
212.

Theophrastus Aristotelis discipulus, et quæ hic causa  
naturalis contractionis & expansionis ramos est?

## HYRAMVS.

Audiui equidem, si fama vera est: Aiunt, eam arborem ad aduentum hominis contrahere ramos, inquit; altum eleuare, ad discessum verò iterum expandere, & dimittere, quasi fugiat conuersationem cum homine ob pudicitiam. At nemo sensum & motum ascribet vegetabilibus: Si mouetur, videtur post sensum moueri; qui semper motum se ipsa mouentium antecedit; Si sentit, non est planta, sed animal. Verisimile tamen est, esse analoga quædam in ea arborum neruorum seu tendonum, quæ à rāmis ad radicem producantur; vnde pressâ humo porosâ & concavâ circa radices ex accessu hominis, contrahi necessariò ramos, & ex discessu aut ponderis remotione, iterum ad priorem situm redire contingit.

## SALOMON.

**ENIGMA** *Huius rei ratio est probabilis, si arbor eiusmodi in rerum natura existat: At quid de Agno Tartariae existimas?*

## HYRAMVS.

Narrant de eo, nescio quam verè, quod ex semine quodam, melonum semini correspondente, sed paulò maiore & rotundiore, nascatur, si in terram ritè proiiciatur: estq; hæc planta agno persimilis, excrescens duorum pedum altitudine, ab inquilinis eius regionis Bonarez dicta, quod Agnellum denotat. Habet autem cutim teneram, & formam instar agni recens nati; Habet caput, oculos, aures, & alia membra. Dicitur & sanguinem seu succum sanguineum habere; at non carnem, cuius vice cancerorum medium substantiam obtinet. Pedes quoque & yngues in iis ex pilosa congerie habet, & radicem in umbilicum quasi insertam; depascit circum circa alias plantas, & tam diu vegetat, dum alimento non destituitur, quo deficiente, radix marescit. Dulcis est saporis, & valde à lupis, aliisq; feris appetitur. Non procul à Samarcanda, Tartariae oppido, prope Caspium mare proueniare narratur, eiusq; pelles in Turciam usque deportari, & vendi Turcis pro vestium interiori prætextura. Mixta in hoc genus inter vegetabile &c.

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 145

bile & animal censemus, quamuis sensum & motum non habeat, sed saltem exteriorem animalis formam & partes; *Zoophyton* inde dictum.

S A L O M O N.

*Cur Populus arbor Herculis crata est?*

ENIGMA

214.

H Y R A M V S.

Quia hanc inuenit apud inferos, dum Cerberum educeret; nempe habentem folia duplicis coloris, ab una parte albi, ab altera nigri & fumosi: à fumo enim sulphureo hanc nigredinem traxisse ab inferiori parte creduntur, aut potius carbonario. Hinc corona populea Herculis solennis fuit, & in certaminibus victoribus, tanquam brabeion, data. In Populos mutata dicuntur Solis & Clymenes filiae, Phaeontis sorores, cum ruinam fratris impatientissime ferrent.

S A L O M O N.

*Quid de Apollinea amasia, Daphne, statuis, quæ in Laurum mutata est?*

ENIGMA

215.

H Y R A M V S.

Apollo semper iuuenis fingitur, quia Apollo philosophicus senium aut corruptionem non sentit: Sic & Laurus folia nunquam deponit; sed semper comata & viridis appetet, quasi semper iuuenis: quæ quoque cœlo seu fulmine non tangitur: Sic Apollo philosophicus à fulmine ignis seu combustione immunis est.

S A L O M O N.

*Cur Myrtus Veneri, & Oliua Palladi dicata est?*

ENIGMA

216.

H Y R A M V S.

Illa, quia baccas habet optimi saporis, & folia, quæ non decidunt, amatq; littora, in Ægypto odoratissima; Hæc, quia immunis est à care & vetustate, ad ducentos & sive annos durans, tardè crescens, gaudetq; cinere & calcaris fornacibus. Fructus constat nucleo, oleo, carne, amurca. Eā coronabantur equitum turmæ Idibus Iuliis, & minoribus triumphis ouantes. Rami eius portati olim præstabant indicium pacis. Mirum autem est, quod siccis & aridis locis crescat, & oleum reddat ex fructibus copiosissimum. Venus enim ex mari nata creditur, vnde Myrtum littoralem amet, tum ob foliorum decus, tum ob

T

odo.

odorem: Pallas verò sapientia Dea, gaudet olea, vt pacifica, temeraria sumptu pingues reddens fructus. Quod hæc arbor fornacibus lætitatur, & cincire, inde propriè Chymica est, cum Pallas eiusdem artis Dea sit: Vnde Morienus describens ignem contra naturam, Ignis, inquit, philosophicus talis est, quod eius materia bina partitione partitur: aut enim eius materia ex stercore osillo erit composita, aut ex foliis oliuarum: Nihil enim est, quod dignem in combustionē aqualem faciat perdurare melius his.

## S A L O M O N.

ENIGMA

217.

*Quid de Moro arbore & Myrrha existimandum est?*

## HYRAMVS.

Morus arborum ultima floret, exactio iam frigore; Vnde prudentissima vocatur à Poëtis: De hac Politianus in Rustico:

Mox ubi iam sapiens cepit frondescere Morus,  
Ante quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ultimam.  
Quæ pariat pomum, sed serica pensa ministrat.

Hæc cum foliis suis bombycibus alimentum, bombyces serica sua filamenta, hæc vestimenta, hæc pompam & superbiam, imò authoritatem, nobilitatem, doctrinam, & sapientiam: Hinc & hoc nomine Morus sapientissima, nobilissima, & doctissima vœari digna est: Maxima enim virtus Mori foliis hoc respectu inest ( quibus se magnates, diuites & prudentiores existimati, induunt & tegunt, non ut olim Adamicus foliis suam nuditatem ac deformitatem) dummodò à vermicibus depascantur, & in texturas, hominibus retexendas, absumentur. Fruetus eius arboris vocantur Mora, quæ, cum prius alba essent, eruore Thysbes & Pyrami rubra facta sunt. Sunt autem Pyramus & Thysbe personæ Chymicæ, nempe Gabrieus & Beia, se inuicem amantes; qui cum ad fontem, hoc est, aquas soluentes philosophicas, conuenire destinassent, & Thysbe prior aduenisset, Leæna peperit in pallio ab ea relieto, idq; sanguineis tinxit maculis: Sic revera in opere philosophico Leæna parit, qui partus causa est mortis amborum, Pyrami & Thysbes: Hi enim duo pereunt, quamprimum fœtus leonini sunt editi. Pereunt autem amoris vehementia & desiderio mutuo, primò Thysbe, quia albedo præcedit, & Diana prior in lucem editur; post Pyramus, qui rubinetum designat; signo addito, quod mora alba rubefacta sint.

Myrrha

## QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 147

Myrrha verò arbuscula fuit filia Cynaræ Cypriorum Regis, quæ ipatri suo concubuit, ex eoq; coitu suscepit Adonidem; (de quo alias satis dictum.) Hæc Deorum commiseratione in hanc plantam aromaticam conuersa est, lachrymas in succo destillantem propter incestum, ut Quid habet lib. 10. Metam. Sed hanc allegoriam esse Chymicam, satis demonstratum est multis in locis, cum ex filia & patre, vel filio & matre philosophicus fœtus (iuuenis cum pulchrâ barbâ, rubeo capite, oculis nigris, & vestimento aureo) necessariò nasci debeat.

### S A L O M O N.

Lotos & Pala quales sunt arbores?

ENIGMA

218.

### H Y R A M V S.

Loti ligno colore est niger: Baccas profert: Cariem non sentit: Floom amittit, cuius suavitate homines rerum omnium obliuisci dicuntur. Hinc socij Vlyssis apud Lotophagos populos morantes oblieti sunt reditus in patriam, ibi q; eorum permulti manserunt. Aquas amat, ad tibiarum cantus valde expedita. Veteres eam Apollini sacram fecerunt, quod ante Solis ortum folia implicet, prosurgente autem explicit paulatim. Atque hæc arbor, si quæ alia, propria est Chymicæ, tum ob colorem, durationem, florem, fructum, locum natalem, tum quia Solis equa est.

Pala arbor est maior pomo, & suavitate præcellentior, cuius fructu, (qui *Ariena* dicitur) sapientiores Indorum viuunt: Folium alas auium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duorum: Arbor ipsa fructum à cortice mittit admirabilem succi dulcedine, vt vno quaternos satiet. Et hæc Philosophi Brachmanis (qui verè fuerunt Chymici, & Collegium sapientiæ habuerunt in propriâ ciuitate) appropriata est, tum propter fructum & succum, qui dulcis est; tum propter folia alata, quæ volatilitatem subiecti philosophici denotant.

### S A L O M O N.

Quid de Platano & Palma?

ENIGMA

219.

### H Y R A M V S.

Platanus coniuiis sub ea celebrandis dicata & apta fuit, quia latis suis foliis Solem æstivum arceat, hyeme iis nudata admittat. Amasia fuit Xerxis olim Persarum Regis, qui ducens

exercitum incidit in formosam Platano, sub qua triduum integrum  
moratus conuiua celebrauit, genioq; indulxit: Ramos autem amasie  
auro, gemmis, & pretiosissimis quasi donariis onerauit ornauitque,  
& discedens excubitores apud eam reliquit, qui eam ab iniuriis præ-  
tereuntium defenderent. Plinius scribit, Licinium Mutianum Con-  
sulem sub Platano fuisse epulatum cum duodecimo comite, & Ca-  
ium Principem sub aliâ cum duodecim conuiuis. Poëtae quoque fa-  
bulantur, Iouem cum Europa sub Platano concebuisse. Iucunda est  
eius vmbra. Apud Romanos in hortis ac villis urbanis ad umbras in-  
ambulationum ( quæ ad otium literarum primùm inuentæ sunt )  
præstandas frequens culta est. Hinc Iuuenal. Satyr. 1.

*Frontonis Platani, conuulsaque marmora clamant.*

Palma multorum est generum, in Europa sterilis. Coma eius est in  
cacumine, & pomam non inter folia, sed inter fuos ramos. Huic carbo-  
ri est in se uterque sexus, ut omnibus aliis: Mas in palmite floret, fœmi-  
na citra florem germinat tantum, spinæ modo. Terra feruida & labu-  
losa habet frugiferam palmam; sed gaudet quoque locis riguis. Fru-  
ctus palmarum oblongus est, non, ut oliuæ, orbiculatus, dulci succo, nul-  
lo ligno. Orientales ex eo vinum conficiunt, & nonnullæ gentes pa-  
nem. Plinius multa de ea scribit. Et Gellius lib. 3. cap. 6. ex Aristotelis.  
& Plutarchi testimoniis hæc narrat: Si super palma arboris lignum, inquit,  
magno pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, oneresque, ut magnitudo oneri-  
s sustineri non queat: non deorsum palma cediz, nec intra flectitur; sed aduersus  
pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque: Propterea in certaminibus  
palmam signum esse placuit victoria, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, ut vr-  
gentibus prementibus non cedat.

## SALOMON.

*En. Ænigmata vernacula:*

*Dic, quibus in terris sapiens, & habebis honorem,  
Nascitur arboribus, ceu fontibus aëris, unda,  
Sulphureusq; vapor, variaeq; animalcula formæ?*

## HYRAMVS.

Terna proponis mihi, Rex Sapientissime, ubi nempe aqua nascatur  
in arbore, tanquam elementum simplex, & ubi sulphur, tanquam mi-  
nerale,

QVARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 149

nerale, denique vbi animalia; quæ enigmata, nisi fallor, persentisco:  
 In Ferro insula vna ex Canariis nulla est aqua dulcis, quæ viuant ho- Ferrum im-  
 mines ac pecudes, nisi quæ in arboribus certis quasi nascitur, atque in- fusa Cana-  
 de destillata reseruatur. Hæc arbores sunt foliis densis, in quibus cœli riaturum.  
 dono & benignitate aquo' a substantia, clara & dulcis ex rore aut ne- Vide etiam paulò infra.  
 bularum coagulatione colligitur, eâ copiâ, vt distillet, & magna im-  
 pleat vasa; Cui affine est, quod in Polonia, Lituania, Borussia, vbi be- Betula ar-  
 tulæ arbores sunt grandes & frequentes, in anno vñ est, vbi rustici bora,  
 eo tempore, quando incipiunt reuirescere, & folia recipere, adhuc te-  
 ruia, securi circa radices, aut uno pede supra, vulnus quasi separato  
 cortice singulis betulis infligunt, aedeinde bis vel ter magna viarbo-  
 rem altera se curis parte concutiunt, vnde moxaqua ex vulnere tanta  
 abundantia & impetu profluit, vt multas libras exæquet: Quaratione  
 magna vasa cereusifaria ad libitum hac berularum aqua, ( quæ sub-  
 dulcis est ) implent, & ad vsum seruant: Sunt, qui dicere ausi sint,  
 ( quod incredibile multis videbitur, at possibile illis, qui loci circum-  
 stantias nouerunt, & copiam aquæ profluentis, nec non arborum,  
 considerant ) riuos & fluuios proximos circa id tempus inde crescere  
 & augeri, cum maior pars, nullo colligente, ex ante factis vulneribus  
 profluat, instar imbris. In Ferro insula aquæ exterius destillat ex foliis; Vide supra  
 hic ex betulis interius: Estq; ille succus, qui ex terra ascendit in ramos,  
 vt folia prodiret, quibus productis, coagulatione euanscit, rema-  
 nente terreâ & parte aqueæ substantia in frondibus & foliis.

Sulphur ferre videtur Tæda arbor, quæ dat picem per expressio-  
 nem ignis, vt notum est: esse autem picem seu succum pingueum tæda-  
 rum nihil aliud, quam sulphureum vaporem, qui exhalat ex locis sub-  
 terraneis, vbi mineral sulphureæ abundant. Vnde plarumque in mon-  
 tibus metalliferis sunt frequentes tædæ. Et certum est, vbi cunq; abun-  
 dent, quod ibi succi pingues & sulphurei sumi ad terræ superficiem ex-  
 profundo aescendant. Ceres ab hac tædifera dicta est, quod in perqui-  
 renda Proserpina tædas inflammerit. Hanc mares in nuptiis dun-  
 taxat ferebant.

De animalculis, quoddicam, non habeo, nisi quod Terebinthus &  
 Robur giganter præter alia & culices; Et quod Quercus producat gal-  
 las, in quibus circa Michaëlis festum inueniuntur animalcula, aut  
 muscae, siue araci, aut vermiculi, quales sunt carnium. Hæc omnia ex

putredine generari satis constat, quemadmodum eiusmodi innumerā  
inueniuntur. Tantum ad ternas quæstiones.

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

221.

*Verum ne in hanc syluam, quæ tam latè, quam tota  
terra patet, ingressi aberremus, ita ut exitum difficulter  
inueniamus: En ego quarundam adhuc arborum naturas  
& proprietates proferam, ad quas singulas tu postea cons-  
uenientiam cum Chymicis laboribus applicabis.*

**Phyllis.**

*Phyllis Lycurgi Regis Thracum filia relicta à Demo-  
phoonte Thesei filio, vitam sibi laqueo præfocauit, quæ in  
amygdalum postea versa est.*

**Smilax.**

*Smilax quoque virgo amore Croci iuuenis in smilacem  
fruticem, hederæ similem, spinosam, & densis caulinulas  
tam genibus, flore candido & lilium olente, mutata fingi-  
tur; admota auribus leuem sonum reddit, quasi querula.*

**Buxus.**

*Buxus spississima est arborum, non fluens in aquis, nec  
cariem sentiens.*

**Hebenus.**

*Ita & Hebenus, nec fluit in aquis, neq; sentit cariem,  
nec vetustatē: in sola India crescit: Hinc Virg. 2. Georg.*

*Diuisæ arboribus patriæ, sola Indianigrum*

*Fert hebenum.*

*Scobs eius oculis unicè medetur, & lignum ad cōtem tria-  
tum cum passo caliginem discutit. Cæsa hæc arbor durea  
scit in lapidem.*

**Fraxinus.**

*Fraxinus Achillis hasta multum nobilitata fuit: cui  
ius tanta vis celebratur, quod nec matutinas, nec occiden-  
tes umbras*

QUARTA DIES: DE VEGETABILIBVS. 151

res umbras serpens attingat, adeò ut ipsam procul fugiat: si ea fronde gyro claudatur ignis & serpens, in ignes potius fugiet, quam in fraxinum. Floret fraxinus, priusquam prodierint serpentes, nec ante condit as folia dimittit.

Ficus fructum ante maturitatem facile perdunt: Non Ficus. florent, pomum habent supra folia, quæ serius nascuntur: Fertiliores sunt inferiore parte, quam cacuminibus.

Hedera sacra est Baccho; seipsum propagat: Duplex Hedera. in foliis color est, viridis & flauis, unde bicolor vocatur: semper viret, ideo Poëta eius foliis olim coronabantur: stare non potest sine adminiculo; muros amplectitur quadam lascivia, adeò ut erodat: via aciflma est omnium arborum, ei folia non decidant, racemus eius vocatur Corymbus.

Taxus in Arcadia adeò venenata fertur arbor, ut si Taxus quis sub ea dormiat, aut capiat eibum, protinus emoriatur. Plinius ait, esse innoxiam, si in ipsam clavus æreus infigatur.

Ita Sycomori grana non maturescunt, nisi radantur in Sycomori instrumento ferreo.

His contrariam naturam habet Balsamum arbuscula, Balsamum. quæ inciditur nullo metallico instrumento, sed vitro, lapi de, vel osseis cultellis.

Vt mittamus Citrum, Cupressum, Pinum, & his similes notiores arbores, Cedrus nobis pro omnibus satisfaciet: Cedrus. Folia

Folia habet cupressi foliis ferè similia, lignum iucundi odoris, & tineis imperium: Propterea opus dignum Cedro dicimus, quod laudabile est, & ab iniuria blattarum & tinearum maxime conseruandum: Horat.

Speramus carmina singi

Posse linenda cedro, & laui seruanda cupresso,  
vel quòd eius oleum illitum res omnes conseruet a tineis &  
carie. Cedrus duo habet genera, minus & maius. Hoc iterum geminum est: Florifera & fructifera. Florifera fructum non fert, & fructifera non floret: & in ea antecedentem fructum statim nouus occupat: Propter materiae aternitatem ex ea siebant Deorum simulachra: Folia non amittit, quæ habet capillata, nec rimam aut fissuram sponte capit.

### HYRAMVS.

Non absque causa, Rex Sapientissime, diceris à summis ad minima, & à minimis ad summa vegetabilium disservisse, qui omnium eorum proprietates & essentias perfectè calles; At ego, ut his parallela Chymica ponam, nunc admitar: Phyllis Beiam, & Demophoon Gbernium denotat; Illa huius desiderio & amore vnicè tenetur; Hinc ei mors in nigredine. At quia in amygdalum mutatur, quæ omnium arborum prima floret, significatur albedo mox sequens: Hæc enim flos est, ut rubedo fructus maturus. Demophoon contrariae aliis hominibus natura fuisse dicitur; quia in umbra incaluerit, in Sole friguerit: Ita enim sulphur philosophicum se habet, cum calida frigefaciat, & frigida calefaciat.

**Smilax.** Smilax verò virgo alba, & Crocus iuuenis, rubeus, easdem personas Chymicas designant, nempe serum tubeum, & odoriferam eius sotorem.

**Buxus.** Buxus ex pondere & duratione sulphuri nostro assimilatur, ut & Hebe-

Parallelæ  
Chymica.  
Phyllis.

Smilax.

Buxus.

Hebenum nigrum, quod oculis optimè medetur mentis, si agnoscatur. Ex India lāpē adfertur ad nos, quamuis & alibi nunc crescat.

Achillis hasta Pelias dicta Fraxino celebritatem fortè attulit, quia **Fraxinus**, contra venenata vulnera, quæ fecerat, auxilium tulit: Achilles ut est subiectum Chymiae, sub prunis induratum, sive eius hasta vis agens sulphurea in eo agnoscitur; quæ, quod vulnerat, & sanat, serpentibusq; argenti viui contraria est; quia eos occidit.

Ficus immatuos fructus facilè perdit; sic opus philosophicum. **Ficus**. Fructum habet in folio, quo tegitur; sic & illud: quia dignis monstrari, & indignis tegi postulat.

Hedera non ascendit, nisi stabiliatur à muro vel arbore; sic **Leo vi- Hedera**. ridis sine aqua fœtida nil præstat, quam postea absumit, & ebit. Hæc est arbuscula, quæ priscos Poëtas, Orpheum, Linum, Homerum, & alios ad cantum impulit & coronauit: Baccho sacra est, quia liquidam partem compositi notat; quæ viuacissima est, quia corroboratur ab alia stabiliore seu muro, seu arbore, hoc est, sulphure.

Taxi vis venenata etiam in umbra nocentissima, mirum est, quod **Taxus**. æreo clavo tollatur, ut & Sycomorus ferro iuuatur: Vnde patet, à sul- **Sycomorus**, phure fixo, quod in vtrisque his metallis inest, vim quoque vegetabilibus infundi: Sic materia philosophica venenosa est, nec maturari poterit, nisi & sulphure fixo dometur, & adiuuetur.

Balsamum contrà reformidat ferrum, quod infligit vulnera, quæ **Balsamum**. sanat: sic à vulgari quocunque metallo balsamum philosophicum abhorret.

Cedri verò natura adeò nobilis est, ut meritò **Regina** inter arbores **Cedrus**. dici & haberri debeat: Omnes enim omnium virtutes exprimit perpetuitate, odore, continuitate: Ex quibus singulis hoc documenti elicio, quod natura metallica in multis vegetabili corresponeat; Et quod Philosophi exponentes suum opus, non raro id assimilarint hisce vegetabilibus, præsertim arborum fructibus, floribus, & odtibus.

Ad hæc insitio, quæ sit in arbusculis, manifestissimè philosophi- **Insitio**. cum opus demonstrat, & ut possibile in natura, & ut imitabile ab arte: Ut enim arbor iuuacula & tenera pomifera quæritur in sylvis vel hortis, quæ in nouum solum seu terræ gremium posita, supra truncum absinditur cum ramis omnibus, in quibus fructus syluestres datura

esser, & trunko alijs surculus nobilior ex alia arbore hortensi petitus inseritur, ita vt ex trunko & surculo simul coalitis fiat vna arbor, quæ mox ferat fructum fequentem surculi naturam, non trunci: Sic materia philosophica, vbiunque sit, inuestigatur, inq; suum vas ponitur, eiq; additur nobilissima sulphuris species, quæ inueniri potest, eaq; duo vniuntur, soluendo, coagulando, sublimando, distillando, aliisq; operationibus, donec tertium quid ex his resultet, quod post alias præparationes, colorumq; mutationes varias in Tincturam philosophicam perficiatur.

## S A L O M O N.

Satis hoc die disquisitum est; Nunc ad animalem naturam transfundumerit, cuinos in crastinum reseruabimus.

SEPTI-

SEPTIMANÆ PHI-  
LOSOPHICÆ  
Quinta Dies:  
DE ANIMALIBUS.



SALOMON.

**N**on exigui laboris, curæ, studij & sumptus fuit antiquitus historiam animalium describere, quemadmodum constat Aristotelem, qui diligentissimè hoc opus peregit, ex Alexandri Magni liberalitate, incredibilem hominum numerum ad obseruandum singulorum

animalium naturas & proprietates in diuersis terræ partibus & locis, adhibuisse, pecuniaq; summam erogâsse in venatores, aucupes, pescatores, & huiusmodi alios quâm plurimos. His omnibus Adamus protoplastes non eguit, quippe, qui ex propriæ suæ naturæ industriâ & sagacitate singulorum animalium differentias & essentias agnouit, vnde iisdem nomina conuenientia primus imposuit, vt pote dominus & possessoreorum. Non videbatur enim Creatori consultum, vt homo iis imperaret, quæ non nouerat, aut eorum ministerio vteretur, quæ, quîmodo sibi inseruire possent, non haberet explorata. At lapsu Adami superueniente, hæc notitia rerum, antè clarissima, valdè obscurata est, præsertim in posteris eius; vnde opus fuit, de nouo animalium naturas indagare, differentias discernere, proprietates annotare, & in voluminali librorum digerere, quæ huic defectui ex parte subuenirent, & memoriam rationemq; humanam adiuuarent.

**Sapientes omnium ætatum circa historiam animalium occupati.** Fuerunt autem sapientes omnium ætatum circa hanc scientiam occupati, tum quia per se iucunda & admirabilis est; tum quia honesta, homine digna, & verè regia videtur ob causas plurimas: Primò enim excolit animal rudiorem doctrinâ multiplici, vnde agnoscamus, quid homini datum, quid bestiis negatum sit. Si enim Spartani helotas seu seruos ebriosos, fatuos, & vino dementatos iure introduxerunt ad suos liberos, vt hi inter sobrietatem & ebrietatem, virtutem, & vitium, ratiocinandi subtilitatem & sublimitatem, nec non hanc spontaneam infamiam discernerent, Deoq; gratias agerent, quod his vitiis non indulgerent, aut ad minimum cauerent sibi, ne ineibriarentur, & sic delirarent vnquam, helotarum instar: tum quoque vtile erit, & necessarium, bestiarum irrationalium naturas, proprietates & differentias liberis ingenii proponere, demonstrare, & insinuare, vt quantum domum sit ratio & intellectus soli homini concessus, agnoscatur, & cum

**I. Spartani helotas, seruos suos ebrios, libetis suis cur proposuerint.** gratiarum actione erga Creatorem ostendatur. Nam Mundus & hoc fine adeò mundus factus, aut tot rerum & animalium speciebus ornatus est, vt architecti summi bonitas & omnipotentia inde conspicere-  
tur, hominumq; simul commoditas, iucunditas, & utilitas quereretur, quod quinon considerat, bestiarum more vitam degit, necratio-  
ne, quæ humano generi, instar thesauri pretiosissimi, præ illis data est, vt debet, vtitur. O quanta est Dei Creatoris gratia! quanta prouiden-  
tia! quanta clementia! quin nos non bufones, non serpentes, boues,

**Mundus, quo fine adeò mundus factus.** aut  
gratiarum actione erga Creatorem ostendatur. Nam Mundus & hoc fine adeò mundus factus, aut tot rerum & animalium speciebus ornatus est, vt architecti summi bonitas & omnipotentia inde conspicere-  
tur, hominumq; simul commoditas, iucunditas, & utilitas quereretur, quod quinon considerat, bestiarum more vitam degit, necratio-  
ne, quæ humano generi, instar thesauri pretiosissimi, præ illis data est, vt debet, vtitur. O quanta est Dei Creatoris gratia! quanta prouiden-  
tia! quanta clementia! quin nos non bufones, non serpentes, boues,

aut mulos fecit; sed homines, hoc est, rationali animâ donauit, inq;  
bruta actum reflexum nobis tribuit: Leo animosus, vrsus atrox, tygris  
horrenda, elephas magnus, equus & celer & fortis, nec non sexcenta  
alia animalium ferorum & cicurum genera, vni rationi hominis parui  
& inualidi ( si corpus species ad illa ) obedire coguntur. Mira vis ita-  
que rationis est, quæ, vt Regina potentissima, omnes beluas sibi subii-  
cit, & in eas imperium exercet, licet in fragili domo, veluti basilicâ,  
non tam armis, quam consiliis tuta & propugnata, habitet & more-  
tur. Quæ enim causa mouit Lacedæmonios, vt in oppidis absque mu-  
ris & vallis habitare maluerint, quam iisdem munitis: vt nimis plus  
fo titudini incolarum & ciuium considerent, quam lapidibus mœ-  
nium, plus illorum industriae, vigiliis, & animositati tribuerent, quam  
securitati ex his ortæ: Eadem, aut illi similis motu extitit, cur homo  
inermis nascatur, nudus & imbecillis corpore, nempe vt ratione, in- Rationis  
uentrice variarum artium & rerum necessiarum, vtatur, eâ se defen- viss.  
dat, arma sibi fabricet, & vim violentiamq; bestiarum propulset. Vn-  
de prudentissimum animal homo dicitur, quia habeat rationem, ora-  
tionem, & manus; quarum primâ res sibi viles indagat, & reperit, se-  
cundi in aliis exponit, & ad considerationem communicat; tertia, hoc  
est, manibus in actum & opus ducit, facit, construit, & præparat; iisq;  
denique vtitur, & ad libitum fruatur. Nostrum itaque erit, nempe ra-  
tionabilium filiorum Adami, hæc omnia perpendere & contemplari,  
præsertim hoc quinto conuentu, quo sensitivam naturam & moti-  
uam animalium, quoad huic negotio, tempori & loco conueniat; per-  
lustrabimus, & atringemus.

Vegetabilia, vt dictum, à celo & terra suum nutrimentum mu- Vegetabilia  
tuantur, hoc est, calorem Solis, pluuiam & rorem inde, terram, hinc nutritienti  
accipiunt vna cum euaporationibus aëriis, oleosis & pinguibus, qui- suum unde  
bus à radicularum fibris & venis attractis protrudantur plantarum accipiant.  
gemmae, germina, stipites, culmi, folia, flores, fructus, & semina: Ve-  
rūm animalia, quia vni certo loco non sint adfixa, longè alio nutriuntur modo: Non enim immediate ex elementis nutrimentum ca-  
piunt, vt illa, sed ex elementatis, siue ipsis vegetabilibus & animali-  
bus: Vnde nec radices aut primas venas habent terræ infixas, sed in  
medio corporis dispositas & tectas. Quamprimum enim quodcunq;  
animal ore pabulum suum acceperit, & dentibus diminuerit, in com-

mune receptaculum, ventrem, id descendit, ubi calore humido maceratur, elixatur, & coquitur in aliam, quam prius habuit, substantiam: Deinde in meatus intestinales haec ablegata, perq; varios gyros circumducta, à venis per mesenterium dispersis attrahitur potiore sui parte in venam portæ, & hinc in epar. Hic primùm sanguificatio incipit, tanquam in propria sua officina, & fit sanguis, qui est proximum nutrimentum corporis animalium. Ex sanguine generantur spiritus & vitales & animales, & ex his lensus & motus causantur. Fæces verò primæ, secundæ, & tertiaræ alterationis ex suis locis educuntur. De quibus sub hominis anatomia longè absoluīus inquiritur. Tanta autem **Animalium** est varietas animalium, totq; eorum extant species, ut non eas enumere, multò minus singulas contemplari possumus. In positione, & situ membrorum & viscerum longè quoque inter se differunt, & sic non uno nutritionis modo contineri queunt; Sunt quadrupedes in terra, aquis, & aëre; sunt bipedes; sunt quoque apodes; nec desunt volatilia aut natantia in suis sphæris; de quibus singulis in genere discutemus.

### DE QVADRVPEDIBVS TERRÆ.

Quadrupedum ea forma est, & membrorum dispositio, ut ad pastum, & propagationem, & usum hominum conditæ manifestè apparent. Hinc enim capite ad terram prono quatuor pedibus innituntur, tum ut nutrimentum in teræ superficie sibi quærant, tum ut sustinendo corpori proprio, oneribusq; portandis aut trahendis sufficiant. Tu verò, Regina, ab hisce, præsertim in Philosophia memoratis, quærēndo incipias.

S A B A.

**ENIGMA**

222.

A Boue principium ergo ducemus, qui primam & in Philosophia apud Ægyptios & in re pecuaria habet autoritatem: Propter quas causas hic in Ægypto cultus, & tanto honore affectus fuit?

S A L O M O N.

Ægyptij, inter quos Hermes ex Philosopho sacerdos, ex sacerdote

Rex.

Rex factus, omnes suas leges, & politicas, & diuinias, seu ad religio-  
nem spectantes, Mercurio acceptas referebant; Mercurium verò à  
Vulcano eruditum eas habuisse, & Isidem à Mercurio, quæ eas po-  
pulo promulgārit, & seruandas iussit. In primis autem ad cultum  
religionis spectauit Bosille, Apis illorum linguâ dictus, qui toto cor-  
pore nigricans, in latere aut fronte corniculatam albi coloris Lunam  
repræsentauit. Hic per totam Ægyptum, priori defuncto, conqui-  
rebatur, & inuentus, magno triumpho cum nani Memphin aduehe-  
batur, multisq; initiationibus, lustrationibus, & ceremoniis factis in  
Vulcani templum statuebatur, & magnificè epulis alebatur in aureis  
cubilibus. Dicebant autem, Osiridis animam in hunc Bouem conti- Osiridis a-  
nuâ successionis serie migrâsse, quo post quadriennium in certo fonte nimia in bo-  
suffocato, in alium, simili modo repertum, migraturam. Latius de uem mi-  
grasse dicta.  
hoc Boue alibi tractatum est, vnde reliqua peti poterunt. Nihil aliud Fabulæ ex-  
verò per Bouem intellexerunt, quâm lapidem in capitulis notum, & applica-  
qui insignia Lunæ manifestè in se gerit. Estenim Luna ipsa Solis vxor, tio.  
hoc est, Osiridis. Per Osiridem namque Solem semper indicârunt,  
sacerdotes consciij philosophicum; alij quicunque ignari, cœlestem:  
Non abs re itaque dixerunt, Osiridis animam in hunc Bouem Lunæ  
figurâ insignem transuisse, cùm Solis anima in Lunam revera mi-  
gret, eiq; vniatur. Osiris verò à Typhone intersectus dicitur, & in  
multas partes dissectus; quod ita quoque accidere manifestum est:  
Solutio enim fit Solis à Typhone, eiusq; corpus in minimas partes  
dimiditur, quæ deinde ab Iside vxore, seu Luna, compinguntur, &  
vnuuntur; deficiente generationis membro, seu sulphure combusti-  
bili. Cur autem tantas ceremonias cum Boue celebrârint, non nisi Ægyptii  
sapienissimis notum fuit; vulgo non inquirente causas rerum, sed eur tantas  
saltē sequente ritus maiorum, quos prudentes & haud ignaros pri-  
mæ eius originis præsupposuit. Idq; verissimum est: Nam primi au-  
thores colendi Bouis absq; dubio non fuerunt adeò brutales, vt bru-  
tum propter causas communes, hoc est, agriculturæ usum, aliasve vti-  
litates, diuinis honoribus affici voluerint; sed habuerunt rationes hu-  
ijs institutionis grauissimas. Primò, ne memoria Philosophiæ apud Ratio 1.  
posteros periret; sed hoc tanquā subiecto remoratiuo solēniter cōser-  
uaretur. Nisi enim sint obiecta quædā, quæ sensus & reminiscientiam  
moueant in hominibus, facile rerum etiam maximarum illis obrepit  
obli-

Ratio 2.

obliuio. Secundò, vt sagacioribus ansa præberetur de causis inquirendi in Philosophia, in qua hieroglyphicæ literæ solis Philosophis cognitæ eas demonstrarunt. In illis bos seu Apis materiam, Osiris, Isis, & Typhon compositi partes indicarunt, & sic de aliis animalium figuris. Tertiò, vt populi (veræ religionis & diuini cultus expertes & ignari) hac quasi religionis opinione in officio continerentur. Huc accessit, quod vulgus in brutorum cultum procluor fuerit, cum viderit, hæc animalia inter literas sacras haberi, in arcanis retineri, & à sacerdotibus magnâ reverentiâ tractari. Hinc exemplo bouis publicè culti, in aliorum quoque brutorum honorem ciuitates nouas condiderunt, conditasq; nominarunt.

## S A B A.

ENIGMA

223.

*An Philosophi quoq; Equi ac Camelii mentionem faciunt?*

## SALOMON.

Boum mē.  
tio apud  
antiquos.

Vt antiqui in suis allegoriis sàpè Bouis meminerunt, cum de matrìa philosophicā loquerentur, vt pote Boum Geryonis ab Hercule abactorum, punicei coloris; Augiæ Solis filij, cuius ille stabulum repurgasse immenso labore dicitur; Tauri, in quem Jupiter conuersus Europam rapuit; Acheloi cornu copiæ ministrantis, & similium: ita & nonnunquam aliorum piumentorum mentionem faciunt; in primis Equi: Celebratur Maronis carmine Equus Troianus, quē Græci diuinâ Palladis arte ædificarunt, arcanisq; trabibus contexerūt, Epeo machinæ authore. Nil autē bello Troiano fictitio & toto allegorico intelligitur, nisi idē opus philosophicū, vt alibi copiosissimè demonstratū est; & per Equum, quo bello finis impositus, Troia occupata, incensa, & destructa est, nisi subiectum artis; quod patet quoque apud alios authores ita vocitatum esse. Sicenim Rhalis in Epistola: *Cooperitorium Equi pallium nostrum album, & equus noster leo fortis sub pallio cooperitus.* Diomedis quoque Thracum Regis Equi innotuerunt, qui hospitum, quos ille interfecrat, carne & sanguine pascebantur: sed ipse postea legem Talionis expertus, ab Hercule iisdem equis in pabulum datus fuit. Hi Equi reverâ sunt allegorici, & significant eam rem, quæ multos signatos perdit, quid pro quo accipientes, nempe materiam philosophicam.

Equorum  
mentio.Bellum  
Troianum  
totum ficti-  
tum & al-  
legoricum.

## QVINTA DIES: DE ANIMALIBVS.

161

cam. Tales & fuerunt Achillis equi, quorum nomina sunt Balius, Pe-  
dasus, & Xanthus, ex Zephyro geniti. Claudianus:

*Et flauum Xanthum spreuiisset Achilles.*

Fuit quoque inter requisita, sine quibus Troia occupari non potuit,  
abductio equorum Rhesi, ante quam è Xanthe fluuiò biberent; quod  
lib. 6. Hieroglyph. satis expositum est: Soli insuper quatuor attribu-  
untur à Poëtis equi, de quibus Ouid. lib. 2. Met.

*Interea volucres Pyrois, Eous & Æthon*

*Solis equi, quartusq; Phlegon, hinnitibus auras*

*Flammiferis implent, pedibusq; repagula pulsant.*

De iisdem Thomas Radinus: Equi quatuor, inquit, qui aarē licet forent,  
colore tamen quisq; proprio noscabantur: Pyrois rubens, Eous candicans, Æthon  
coruscans, Phlegon nigricans, hinnitibus flammiferis, elatis naribus auras imple-  
bant, erraticis cursibus vagabantur incerti: quibus coloribus subiecti philo-  
sophici mutationes ex vno colore in alium denotantur: Primò enim  
niger; deinde coruscans inter album & nigrum; tertio albus; deniq;  
rubeus successiūè in opere visuntur. De Camelō in eādem Epistolā *Cameli*  
dicitur: *Camelus noster albus septimus est in numero apud Philosophos magnos, mentio.*  
*Sol cum Luna, Iupiter, Mars & Venus nostra in Mercurio nostro, & Saturnus se-*  
*ptimus eorum, in quo omnes sunt coniuncti simul;* Cur verò Saturnum Ca-  
melum vocet, constat, quia ipse portat retia ad venationem Veneris &  
reliquorum Planetarum, vt Basilius notat in rythmis & figuris.

S A B A.

*An non Mulus est in opere, eiusve similitudo?*

ÆNIGMA

224.

S A L O M O N.

Imò, quia ex diuersis speciebus, Asino & Equa, ibi nascitur tertium  
genus à parentibus diuersum. Tardigradus asinus est ponderosum il-  
lud & fixum; Equa verò ex Zephyro vento concepta & concipiens,  
volatile, aérium, & fugiens. Ex his animal forte, robustum, non nimis  
tardum, nec velox, quale est Mulus, nascitur, habens patris & matris  
naturam simul in sese.

S A B A.

Iumenta hactenus herbivora tetigimus cicura, nunc feras eiusmo-  
di proponemus; *De Apro an meminerunt Philosophi?*

ÆNIGMA

X SALO- 225.

## SALOMON.

Multis in locis: Nam & Hercules aprum in Erymantho Arcadiæ monte natum, à Diana Phocidis agro immissum, omnia vastantem, ex fruticeto propter altam niuem defessum extraxit, & vinclum ad Eurystheum deportauit. Per hunc, ut & per alias beluas feroce[m] matreia philosophica intellecta fuit, quippe quæ ab Hercule, artifice labi-volissimo debellata & pertractata est, à multis aliis non sine damno tracta, aut tentata. Ut enim Aper dentibus mirax & nocivus existit, sic illa non debitè ad opus adhibita, nil nisi minas & noxas adfert. Atalanta quoque illa fugitiua virgo, quæ cursu supetata victoribus spontea promissa fuit, vi etis morte punitis, Aprum insignis magnitudinis in Arcadiæ interemit, unde à Meleagro brabeio donata est. Hinc à matre eius Althea stipite, cum quo natuserat, fatali, in ignem coniecto & combusto, ipse extinctus est. Apri violentiam Adonis expertus est, qui in venatione ab eo cæsus & interemptus fuit.

S A B A.

ENIGMA.

226.

*Quid de Cerua?*

S A L O M O N.

Ethæc inter Herculeos numerata est labores: Fuit autem Diana sacra, aureis cornibus, & æreis pedibus fugacissima, quæ non vulneribus prosternenda erat, sed solo cursu defatiganda, & captanda. Hercules itaque integrum cuenrrit annum, antequam eam defatigare ac comprehendere potuerit. Tandem ad Ladonem amnem captam humeris suis impositam eam ad Eurystheum apportauit. Ex his apparet, quod[m] materia philosophica interdum ferociissima & monstrosa describatur, per accidens, quia ignorari noceat; per se vero mitis & lenis, quia leniter tractari velit. Illic Aper est, hic Cerua, diuerso respectu. Aurea huic Ceruæ sunt cornua, singulare naturæ priuilegio, cum alias Ceruæ cornua non habeant, multò minus aurea. In his robur & vis ceruini generis est, ut in pedibus, fugacitas, qui sunt ærei. Diana, hoc est, Luna philosophica, sacra est, cui absque vulnere, lassione & noxa offerenda venit.

S A B A.

QVINTA DIES: DE ANIMALIBVS. 163  
SABA.

*Est & Monoceros seu Vnicornis in arte celebratus?* ENIGMA.  
SALOMON. 227.

Imò; qui cum Ceruâ in vnâ syluâ morari dicitur. Amare autem & agnoscere virginem puram perhibetur, in cuius gremium cornu depontat, selegq; tractati ab ea permittat. Est autem Vnicornis Sol philosophicus, & virgo Luna; Ideoq; eiusmodi virgo sedens supra Lunam corniculatam cum Vnicorni passum pingitur: Venenis draconum & serpentum resistit eius cornu, idèò hoc prius in aquas immergit, quam bibat.

SABA.

*Inter beluas carniuoras num & Leo Philosophis* ENIGMA.  
*innovuit?* 228.

SALOMON.

Philosophi varios Leones agnoscunt, nempe viridem, album, rubrum, fuluum, alatum, & absq; pennis: Et de nullo animali frequenter, quàm de Leone loquuntur: Lullius codic. c. 31. *Hoc est sulphur, fili, & hic coluber & draco devorans caudam suam, Leorugiens, &c.* Ib. c. 38. Considera, fili, quàm pulchrum & utile sit mysterium elementorum separatio, ac Leonis venatio, beneficio & ingenio discretionis humanae, &c. Marcos verò apud Seniorem, venationem Leonis descripsit prolixius, vt ibi videri potest. Eiusdem generis fuit Leo, quem Hercules in Cytherone monte Bœotia, Musis & Apollini sacro, venatus est, & occidit, qui fuit primus omnium eius laborum. Viridis Leonis sapissimè apud Philosophos fit mentio, suntq; ij termini adeò communes, vt non opus sit hic testimonium adducere. Leo autem dicitur propter constantiam & firmitatem virium, quæ inest materiæ philosophicæ post debitam præparationem; viridis, quia adhuc vegetet & virefacat; rubeus, quia purpureum induerit colorem. Atalanta & Hippomenes in matris Deûm sacello, hoc est, vase, coëuntes, in Leones tubeos mattati à Dea singuntur, hoc est, foemina fugax, & masculus eam sistens in cursu, aureolis projectis pomis, in rubeam tinturam vertuntur.

Leo viridis.

ENIGMA

229.

*Estne Vrsus in magisterio cognitus?*  
SALOMON.Vrsus vnde  
dictus.

Sunt, qui eius meminerunt, inter quos Author secreti maximi, sub nomine sulphuris, Ego verò, inquit, sum ponderosus, densus, & compactus, scit ut Vrsus, nec possum bene currere. Sunt verò ursini fœtus informes, sine oculis & pilo, vnguis tamen prominentibus, quos mater lambendo paulatim figurat: Ita & sulphur natura vile & despectum est primò, at post completâ operatione debitam acquirit tinctoræ pretiosissimæ formam. Utq; Vrsus ab virginando nomen habet, quod virginat mole corporis & robore sibi infestos: Sic & sulphur philosophicum virginet, premit, prosequitur, & pessundat suum aduersarium, donec eum omnino superet, & absumarat.

SABA.

ENIGMA  
230.*Forte & Lopus in magisterio agnoscitur?*  
SALOMON.

Absque omni dubio: Sic enim Rhasis in Epistola, *Lopus noster*, inquit, in oriente inuenitur, & *Canis* in occidente; iste momordit illum, & iste momordit ipsum, & sunt rabidi ambo, & interficiunt se inuicem. Et Basilius in primâ clave vult, Regem proiici debere ante Lupum valde famelicum, ut ab eo deuoretur, idq; ter repetendum, & tum igne comburendum esse: Lupina natura & formâ à caninâ non multum differt, ita ut quidam Lupum sylvestrem canem esse existiment; At in Lupo maior feritas & rabies dominatur, in Cane cicuritas, licet aliquando Lupo sit mordacior & fortior. Ille agens, hic patiens est. *Canis* in initio Lupum prosternit, at postea ab eo superatur iterum, sic tamen, ut ambo mutuis vulneribus & mortibus tandem extinguantur.

SABA.

ENIGMA  
231.*Ergo Canis semper Lupo coniungitur, ut aduersarius?*  
SALOMON.

Sic est; quia passio non sit absque actione, cum in iis sit Relatio: Et necessarium est, ut sit in paciente resistentia quædam, qua in agens operetur prima vice. Hæc non est in Ove, vel Ariete, respectu Lupi, sed in Cane.

SABA.

QVINTA DIES: DE ANIMALIBVS. 165  
SABA.

Aries an non est in opere? ENIGMA  
SALOMON.

Sic sanè; Nam expeditio Argonautica ob Arietis pellem à Mercurio deauratam suscepta fuit, hoc est, ab Iasoni, qui Medicum sonat & denotat, circa Medicinam aurigenam inquisitio diligentissimè facta est per multos labores animi & corporis, donec tandem eam inuenierit, secumq; domum reportarit. Chiron Iasoni, hoc est, manuum labor, præceptor & Medea, hoc est, ratio, seu prudentia, consiliatrix fuit. Non autem per Vellus illud aureum, aureæ mineræ, nec chrysopœia in pelle ouilla descripta intelligi debent, cum opera di modi, arti ipsi proprij, allegoricè proponantur Iasoni, ante quam Vellus aureum adipisci posset, feliciter absoluendi. Per Draconis enim peruigilis trucidationem, dentiumq; eius extractionem & seminationem in terram, per taurorum igniomorum sub iugum missionem, & terræ subuersiōnem, perq; viros terrigenas in se se arma conuertentes, quid aliud intelligitur, quam ipsa artis operatio, quæ diuersis & iam dictis modis perficitur.

SABA.

Nunquam igitur per Arietis aut Ovis pellem liber ENIGMA  
Chrysopœiam continens intellectus fuit? 233.

SALOMON.

Hoc non dixero, sed de Iasonis aureo vellere in specie locutus sum. Notus enim est Pelopis Agnus, quem Atreus à Pelepe patre, (Pelops à Tantalo patre) acceperat, pro eiusmodi libro habitus. Hunc Thyestes, Atrei frater, ab vxore Atrei stupro cognitâ adeptus est, vnde Pelopidarum & regnum & calamitas originem duxit.

SABA.

An non aliquando Pantheræ fit mentio verficoloris? ENIGMA

SALOMON.

Etiam: Nam sic Riplæus in Recapitulatione portarum: Colores, inquit, pulchriores nunquam sunt visi, pallidus & niger, falsus citrinus, imperfectus & rubeus, paonis plumarum color elegantissimus; Iris, qui etiam preteribit,

*Pantheræ color varius, Leo viridis, &c.* Sunt autem Pantheris maculæ diuersorum colorum, quibus quadrupedes sollicitantur, ut proprius accedant, à bene olente odore quoq; ille &tæ, sed oris toruitate deterretur: propterea capite ipso occultato Pantheræ feras corripiunt. Feruntur habere in armo similem Lunæ maculam, crescentem in orbes, & part modo curuantē cornua. Solæ animalium odoratæ sunt. Earum oculi in vmbbris refulgent, hebetantur in Sole, & longius nitent, quam aliarum ferarum. A Luna itaque cœlesti lumine hoc animal regi appetet; vnde non immeritò terrestri vel philosophicæ Lunæ assimilari potest.

S A B A.

Leopardus unde nascitur?

S A L O M O N.

Ex Leæna & Pardo, diuersarum specierum; Hinc Leopardus vtriq; ex parte similis est, neutri verò omnino, nouam constituens ipse speciem. Parit quoq; ex Hyenæ coitu Leæna; vnde adhuc aliud genus exoritur. Hyena sexum alternatim mutat, & naturam, nunc mas, nunc fœmina; & sic Rebis præfigurat.

S A B A.

Quid de Lynce habes?

S A L O M O N.

Quod lapidificandi vim in vrinâ emissâ demonstret, ex qua Lynceius, lapis pretiosus, & ad multa vtilis generatur. Quod si liquor excrementius animalium coagulationem in duram substâtiā lapideam admittit, multò magis aqua mineralis & metallica, quæ lapidi genere proxima est: Lynx Baccho sacra est, cuius currui iuncta fuit.

S A B A.

ENIGMA  
237. Quid causæ est, cur Ægyptii Felem adeò honorarint,  
ut capitale fuerit Romano aliquando occidisse Felem?

S A L O M O N.

Felis inter hieroglyphica animalia visa est, quia Lunæ quandâ vim sentiat in incremento & decremento, vt aiunt, oculorum, secundùm Lunæ vicissitudines; & quod noctu acutè videat radiantibus oculis: Hinc ignarum vulgus eam pro sacra & Diis accepta coluit, & honore singu-

singulari prosecutum est, non considerans aut intelligens causas tantæ venerationis.

S A B A.

Quid iudicem per Cynocephalum intellexerant?

ENIGMA

238.

S A L O M O N.

Mercuriale ingenium, docile, & ad omnes actiones promptum: Id animal à canino capite, quod habet, Græcis dicitur; Et Ægyptiis Anubis pro utroq; & Cynocephalo ac Cane, nec non Mercurio intelligitur; vnde Poëtis Anubis latrator cognominatur, quasi caninam edat vocē. Solis accessum & recessum, viresq; sentire aestimatur, quia diem & noctem in viginti quatuor partes suo mixtu, toties repetito, diuidat & discernat, primus horarum æquinoctialium monstrator & invenitor. Imperata ab homine ludicra multa præstat, sed non nisi plagarum formidine coactus: Sic quoque Mercurius philosophicus, vt cera, omnes imagines & colores in se recipit; sed Vulcanum præceptorem ( quem Ægypti illi tribuunt ) duriusculum desiderat, qui blanditiis addat minas, & verbis verbera, quoties opus est.

S A B A.

Si Canis Mercurium denotat, fitne alias eius mentio  
apud antiquos Philosophos?

ENIGMA

239.

S A L O M O N.

Gargitius Canis fuit, Cerberi Epyrotici frater, qui Geryonis tricornis seruabat armenta. Hunc Hercules vna cum domino interfecit. Duorum capitum fuisse fingitur, vt Cerberus quinquaginta, quorum tria canina, reliqua vna cum cauda, draconis, extiterunt: Nil autem monstrosis illis Canibus, quam Mercurialis natura, indicata fuit, quæ in varios vultus & formas se vertit. Habuit & Atalanta Arcadica venatrix canem Auræ nomine, quam aper Calydonius interfecit: qui apri Calydonij & Herculeorum laborum intentionem nouit, nec Aurora ignorare potest: Aurora ventus est leuior, qui vt minister Atalante seruit, hoc est, Mercurius vegetabilis, vt Lulliuseum vocat, minerali: Eiusdē generis est Lelaps Canis apud Ouid.lib.7.Metam. & Agrus Ulyssis, qui reuersum ab expeditione Troiana dominum post annos 20. fertur agnouisse, vt longa ætas & firma memorizare eodem appareat.

S A B A.

**ENIGMA**

240.

*Sed ad volatilium naturam accedamus, quæ ex illis  
maximè celebrata sunt, & in corte philosophica mansue-  
facta?*

**SALOMON.**

Gallinacea genera, Coruus, Columba, Pavo, Vultur, Aquila, Ibis.  
& Phœnix.

**SABA.****De Gallinaceis quid tradunt?****SALOMON.****ENIGMA**

241.

Quod Sol philosophicus egeat Lunâ, ut Gallus Gallina. Etsi enim Gallinæ nonnunquam absque Gallo pariant oua integra ex sese, tam en ea pullis excludendis non inferiunt, nempe vi actinâ & calore spirituoso destituta, qui in spermate Galli, tanquam proprio subiecto, continetur, quisq; includitur. Vnde Aucenna admonet artifices in libro de Animâ, ut accipiant oua Gallinarum nigrarum, quibus adfuerit Gallus: sine eo enim nihil valere. Et in Epistola Solis ad Lunam, dicit Soli Luna: O Sol, tu mei indiges, sicut Gallus indiget Gallina, & ego Luna indigeo operatione tuâ. De ouo gallinaceo Plato Philosophus apud Rosarium, Habemus, inquit, exemplum in ouo, quod putreficit primò, & tunc gignitur pullus, qui post totum corruptum est animal viuens: Ita, ut idem habet, ab q; corruptione generatio fieri non potest; vnde studeas in putrefactione; quia corruptio rnius generatio est alterius. Et Basilius in 8. clave: Hoc exemplis demonstrandum nouit vxor agricolæ optimè: Nam gallinam nullam ad rem familiarem educare potest, nisi id fiat putrefactione oui, ex quo pullus generatur.

**SABA.****ENIGMA**

242.

**Coruus, inauspicata avis, quid in Philosophia præstat?****SALOMON.**

Hermes, Et scitote, inquit, quod caput artis est Corvus, qui in nigredine noctis & diei claritate sine aliis volat. Ex amaritudine namq; in suo gutture existente coloratio accipitur, à suo verò corpore ac dorso mera aqua accipitur. Intelligite ergo donum Dei, & recipite, & ab omnibus celate insipientibus. Vnde patet,

**Coruum**

Coruum esse operis initium, ac nisi ille præcesserit, nec Phœnicis aduentum sperandum esse: Et Riplæus in 5. porta: Elementa misce tua, coequaq; sapienter, & temperato in calore serua, ante omnia cauens, ne nimio calore in cineres redigantur, puluerem siccum, rubicundum, inutilem, sed in puluerem nigrum, Corui rostro similem: Et in Recapitulatione dicit, apparere inter colores varios Corui rostrum nigrum, ut plumbeum: Idem in 1. porta: Tum gratias age Deo, quod opus tuum sit incepturn; nam in hoc habes signum verum, quod in nigredine tibi apparebit: Corui caput hoc signum vocamus, & aliqui hoc nominant Corui rostrum: Vnde constat, in hac arte Coruum esse boni auspicij, contrà quam antiquitus habitus est: Nihil autem aliud per Coruum h̄c significatur, quam nigredo omnium primò in opere reætè incepto apparente: De qua Arnoldus: *Quicunq; color post nigredinem apparebit, laudabilis est in turba Philosophorum: Et cum videris materiam tuam denigrari, gaudie, inquit Rosarius, quia principium est operis.* Hinc Coruus Apollini sacer extitit.

## S A B A.

*Fortè & Columba alba est in opere visenda post  
Cornum?*

ÆNIGMA  
243.

## S A L O M O N.

Rectè sentis; Coruus enim h̄c in Columbam niue albiorē conuertitur, & pulli eius præsenio sunt albi, hoc est, columbinam naturam induunt. Quidam dicunt, quod Columba in ventre Corui abscondatur, quam ille asper & truculentus non relinquit, nisi valde vrgatur à Vulcano. Ut autem Columba fœtui indulget, eamq; ob causam Veneri sacrata est; sic albus color fœtum promittit philosophicum, hoc est, lapidem argentificum. Pauoni amica est Columba.

## S A B A.

*An & Pauo opus hoc illustrat?*

ÆNIGMA  
244.

## S A L O M O N.

Imò, non ad albedinem à nigredine peruenit, nisi per Pauonis colores varios: Inde Riplæus in Recap. portarum Pauonis plumarum colorem elegantissimum recenset, multiq; alij eius mentionem faciunt. Ratio enim dicit, quod extremi colores absque intermediis

Y

con-

coniungi nequeant, quod nouerunt tintores, qui album pannum in nigrum tingere nequeunt absque intermedio colore cœruleo aut rubeo.

## S A B A.

ENIGMA

245.

*Quid causæ putas, quòd Noctua Palladis avis aestimes tur, ut & Pavo Junonis?*

## S A L O M O N.

Cur Pavo sit avis Iunonia, liquet ex allegoriâ antiquorum: Cùm enim Iupiter Io filiam Inachi amaret, aduentente Iunone, mox eam in vaccam mutauit, cui Iuno Centoculum pastorem, filium Aristoris custodem adhibuit. At Iupiter misit Mercurium, à quo Argus lapide trucidatus, cuius oculi in caudam Pauonis à Iunone sunt inditi: De hoc Ouid.lib. i. Metam.

*Arge iaces, quodq; in tot lumina lumen habebas  
Extinctum est, centumq; oculos nox occupat vna;  
Excipit hos, volucrisq; sua Saturnia pennis  
Collocat, & gemmis caudam stellantibus implet.*

At cur Noctua Mineruæ sacra sit, non omnibus patet: Nos hanc spicamur causam, quia lateat in tenebris, ne cæteris avibus prædati sit, & volet noctu non sine prudentiæ nota. Eo enim modo sapientia in profundo naturæ delitescit, hoc est, ars artium Chymia teatè se gerit, ne prædatoribus diripienda veniat, vmbrosisq; allegorïs se abscondit, instar Noctuæ. Adhac non aequiritur sine multarum noctium lueurbationibus & laboribus: Cùm enim Pallas ex Iouis cerebro nata pro sapientiâ intelligatur, in primis pro naturæ inuestigatione, quæ si praxi in actum reducatur, omnium præstantissima habetur, non immeritò hanc auem sibi vendicat, quæ vulgo auium inuisa sit, hoc est, noctuam; si quidem idiotæ & literarum rudes nil magis odif- se solent, quam doctrinam, occultaq; litorarum mysteria. Quod apparet in ipsa Chymia, quæ quia absconditos, nec cuiquam facile intelligibiles terminos usurpet, ab ignaris cane peius & angue infestatur, & conuiuüs proscinditur. Inde Athenæ, vt Palladis, sic Noctuarum curam habuere: Hinc illud, *Noctuas Athenas mistere;* cùm haec illis abundant.

S A B A.

QVINTA DIES: DE ANIMALIBVS.

171

S A B A.

*Quid de Cygno statuendum?*

ENIGMA

246.

S A L O M O N.

Is Apollini sacer est æquè vt Coruus, vnam eandemq; ob causam; nempe quia hi duo colores Apollinem deceant philosophicum, & necessariò præcedant, antequam ipse adueniat suo proprio visendus colore. Deinde quia & canere dicantur Cygni suauissimè instantे si- bi fatali mortis horā: Nec absque causa Iupiter Ledam in Cygni for- ma compressissime dicitur, vnde illa duo oua peperit, ex quorum uno Połlux & Helena nati sunt: Quæ cùm sint personæ allegoricæ, ad so- lam Chymiam (ad quam totum bellum Troianum referri debet, vt alibi demonstratum est) spectantes, patet Cygnum Philosophis chy- mica subiecta denotare. Huc spectat & Cygnus invulnerabilis, qui cum Hercule pugnauit, & fulmine ab eo diremptus est.

S A B A.

*Num Vultur est Chymiae notus?*

ENIGMA

247.

S A L O M O N.

Hermes de eo, Scitote, inquit, rumorum inquisitores, & sapientia filii, quod Vultur supra montem existens in cacumine, clamat voce magna, inquiens, Ego sum albus, niger & rubeus, citrinus, veridicus sum, & non mentior. Vultur verò dicitur materia philosophica, quia multas Vulturis proprietates in se habet, vi sunt, quod referant, Vulturem concipere sine masculo- rum semine, & generare sine coitu: fœminam Euro grauidam fieri, & longam ætatem viuere: quodq; auspicatissima sit avis, & omnium animantium innocentissima: Ita enim Philosophorum lapis matrem habet virginem, & patrem, qui non concubuit, eumq; portauit ven- tus in ventre suo.

S A B A.

*Nec Aquila deest Chymiae, ut opinor, at quibus ac-  
commodatur rebus?*

ENIGMA

248.

S A L O M O N.

Aquila volucrum Regina, pernicissima volatu, subiecti patientis & volatilis notam in se gerit, diuersas ob causas, quas Philosophi passim

Y 2 red-

reddunt. Cum hac draco vel bufo coniungitur, ne solitaria maneat, & infœcunda: Ex repente enim & volante, & ex tardigrado & celerimo fit magisterium. Draconi cum Aquila lethalis inimicitia est, atque hinc ille huius oua auditate maleficâ consecatur. Eius pennæ facilè inaurari dicuntur, cæterasq; auium pennas sibi commixtas absumere: Fulmine non tangitur; testudinibus quoque vescitur, quas frangit è sublimi iaciendo, quo casu Æschylus Poëta periit, in cuius caput caluum Aquila, arbitrata lapidem, testudinem proiecit. In senectute abiecit à rostro præminentia, iuuentum recuperare traditur. Pullos suos probat ad Solis radios, quos, si aciem sustinere nequeant, ut degeneres relinquunt. Eodem modo & Aquilæ Philosophorum cum draconibus & serpentibus interne cinum odium flagrat & exercetur. Materia quoque passiuæ facilè se inaurari permittit, quæ alii permista mineralibus durabilitate longè eas antecellit. Et si enim volatile sit, & fugax; tamen in partes heterogeneas non corruimpitur, vnde vel tota manet in igne, vel ex eo tota iuolat. Manet vero, cum ab alia aut sine pennis detinetur, aut à draconे vel bufone terra colligatur. Igne seu fulmine non absimitur, iuuentum restituitur; Nam lapis noster primò est senex; postea iuuenis; quia senes sunt albi, & iuvenes rubei, quo ad capillos: Soli omnino appropriata est, ceu Luna, eiusq; radios absque declinatione in se recipit. Meminerunt vero Philosophi Aquilæ innumeris in locis, quorum pauca adducemus. In Cymbalo autem dicitur: *Recipe igitur in nomine Domini as nostrum, quod cum Aquilis nouem coniunge, & tere, ut totaliter spirituale fiat sine residentia factum:* Eti in figura senioris Aquilæ visuntur nouem, quæ habent arcus extensos in senem; ac in tabula prima volucres duæ, quarum una est pennis nudata, altera volare cupiens, at ab illa in fundo detenta: Et hæ rostro caudam alterius mutuo nexu complectuntur. Basilius quoque Aquilam intelligit, cùminquit in practica ante claves: *Pernix avis de Meridie, potenti fera de Oriente, cor ex pectori eruit: Fac fera de Oriente alas, quem admodum avi de Meridie, ut aquales fiant.* Et in 2. clave, *Non vile est, inquit, Aquila nidum suum in Alpibus ponere: Nam pulli eius praे frigore niuis in summitate montium morerentur.* Quod si vero Aquila draconem frigidum, qui suam habitationem in petris longo tempore habuit, & ex terra speluncu proreperit, addas, ambosq; in infernalem sellam ponas; tum Pluto ventum afflabit, & ex frido dracone igneum spiritum volatilem eliciet, qui suo magno calore Aquilæ pen-

Historia  
applicatio.

nas com-

nas comburet, ac sudorificum balneum excitabit, vt nix in summis montibus colligescat, & aqua fiat, quo minerale balneum bene preparetur, ac Regi fortunam & sanitatem tribuat. Aquila quoque Iouis ales habetur, quod ipse huius ministerio s̄apē vsus fuerit, nempe cūm medium terræ punctum per duas Aquilas Delphis emissas, vnam ad Orientem, alteram ad Occidentem indagare institueret, h̄ autem vtrique celeri volatu terram circum circa emensæ, in eodem, vnde exierant, loco conuenere, haud dubio, vt videbatur, argumento, Delphos vmbilicu[m] seu medium <sup>Delphos</sup><sub>vmbilicus</sub> terræ repræsentare. Sed hæc esse allegorica, nemo non intelligit, quæ alibi ad binos illos lapides, quorum vnu[s] ab Occidente, alter ab Oriente aduenit, verissimè relata sunt. In Aquilæ formam Iupiter quoq[ue] mutatus, Ganymedem, Regis Phrygiæ filium rapuit, eādem mente.

S A B A.

*Quid de Ibi Ægyptia volucri censes, anne & illa  
Chymica est?*

ENIGMA  
249.

S A L O M O N.

Ibis in Ægypto frequentissima est, formâ ferè ciconiæ, quæ serpentes & venenosos vermes ibidem absunt, ideoq[ue] inquilinis vt sacra habetur, & honore colitur: Præterquam enim quod innoxia sit avis, vtilitatem quoque hanc mortalibus præstat, vt damna eorum propulset & auertat: Adießtamentum quoque Medicinæ contulisse aiunt, dum vsum Enematum introduxit, obstructionem alii seu intestinorum, aquâ, rostro posticæ inserto, iniectâ eluendo tollens: Isid[s]a-  
cra est, eiusq[ue] imaginem in Hieroglyphicis repræsentat: Ex quibus patet, quod hanc quoque ob causam à vulgo, Isidem Deam, Ægypti-  
que Reginam existimante, culta fuerit. Hæc est

*candida auis longis inuisa colubris,*

cuius proprietas est serpentino generi insidiari, hoc est, Mercuriali, idq[ue] interimere, & à cursu prohibere, per coagulationem & fixatio-  
nem.

S A B A.

*An Phœnicem inter aues viinas an allegoricas  
recenses?*

ENIGMA  
250.

Y 3

SALO-

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
S A L O M O N.

Nullo modo inter viuas, quamuis fama & vulgi opinio secus ferat: Plinius ait, allatum fuisse Phœnicem in urbem Romam, Claudi⁹ Principis censurā, Anno Vrbis 800. Sed in his, vt in multis aliis, Plinius fallitur. Fieri autem potuit, quod avis incognita aliunde eō aduecta sit, Phœnicis descriptioni non absimilis, sed verum fuisse Phœnicem, qui se per combustionem ex cinere propaget, & per tot secula,

*Annal. lib 6.* antequam senescat, perduret, credibile non est: Tacitus Phœnicem, prout sapientes & docti viri ex Græcis de eo fabulati sunt, in Annalibus suis depingit: At quia animaduerit discrepantiam diuersorum authorum de annorum numero, post quem exactum, multis comitatus auiis, se in Solis urbem Ægypti, quæ & Thebæ dicitur, conferat, vt ibi in ara comburatur, & ex cinere reiuuenescat, dubius & hærens nescit, quid statuat: Nihilominus inquit, certum esse, quod Phœnix in Ægypto appareat. Phœnicem vero antiqui Philosophi finxerunt auem Arabiæ vel Ægypti eadem intentione, quâ Vellus aureum, Poma Herperidum, & eiulmodi alia, nil nisi Tincturam philosophicam denotantia, introduxerunt, quod patet ex rei cuiusque circumstantiis, nempe ipsius Tincturæ ac Phœnicis. Tinctura est Phœnicæ seu Tyrij coloris, sive ex subiecto combusto, & in cineres reducto, qui cineres Soli sunt sacri, tam cœlesti, quam terrestri, propter latenter in iis factum Solarem, & vitam recipiunt, immo & multiplicationem in modum propagationis; atque ita nunquam extinguntur, sed ut ignis per fontes suos in immensum augentur. Ægypto hæc peculiaris fuit, Hermete inuentore, & à Sacerdotibus & Regibus consciis silentio perpetuo inuoluta, & non nisi per fabulas de diis, deabus, heroibus, & literas hieroglyphicas, animalium figuræ, inter quas & avis Phœnix sese comburens visa fuit, depicta & descripta. Cumq; has non nisi sapientissimi indagandas sibi sumplerint, hinc Tinctura omnino aliis signata mansit. Phœnicis hæ sunt notæ: Vnum in toto orbe habet Arabia, Aquilæ magnitudine, aurii fulgore circa collum, cætera purpureum, caudâ cœruleâ, roseis pennis distinctâ, facie cristis ornatâ. Sacer est Soli. Viuit annos 660. Senescens casia thurisq; surculis construit nidum, quem odoribus replet, & super emoritur. Ex ossibus deinde & medullis nascitur vermiculus, inde fit pullus, qui priori funeriuista reddens totum nidum desert in urbem quædam Panchariæ, Soli sacram, ibiq;

Phœnix  
tincturam  
philosophi-  
cā denotat.

Tinctura  
hæc quibus  
cognita.

Phœnicis  
botz.

ibiq; in ara deponit: Hæc esse allegorica, & tinteturæ iam dictæ parallela, satis apparet. Cumq; naturæ ipsi non conueniant, nec rationi, nec experientia corrispondeant, auem nouam ex ossibus alterius combustæ oriri posse, aut eam, vt se comburat, nidum deportare in certæ alicuius vrbis aram: multi sagaciores, etiam antiquorum, ea in dubium vocârunt, aut aliter interpretati sunt: Si vnica saltem est in orbe, quomodo ea Romanæ allata fuit Claudijs tempore; & nihilominus se propagauit? An in eo extincta est generatio; an vero is dimisus in Arabiam ad speciem suam conseruandam, si modò species in uno individuo constare dicenda est: Tacitus mille quadringentos & sexaginta vnum annos interiici ait inter patrem & filium alices, & regnante in Ægypto Sesostride primum, post Amaside, dein Ptolemaeo tertio, demum Tiberio Romano Cæsare apparuisse; cum vero temporis inter hos singulos interstitium non conueniat; Unde, inquit, non nulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilq; usurpare ex his, quæ vetus memoria firmauit. De Phœnico sic Ouid.lib.15. Metamorph.

Vna est, quæ reparat seq; ipsa reseminet, ales,  
Assyrij Phœnica vocant, nec fruge, nec herbis,  
Sed thuris lachrymis, & succo viuit amomi, &c.

De eodem Virgilius, vbi de animalium ætatis loquitur:

Alipedem ceruum coruus ter vincit; at illum

Multiplicat nouies Phœnix reparabilis ales.

Sunt præterea aliæ volucres phœnicium colorem habentes, utpote Phœnicopterus, rubris pennis, cuius linguam præcipui saporis esse docuit Apitius: Phœnicurus, rubrâ caudâ, quæ vocatur Erythacus hyeme: Porphyrio, rostro, & cruribus prælongis & rubentibus, quæ auium sola mortu babit: Omnem cibum aquâ tingit, quem pede ad rostrum, velut in manu, porrigit.

### S A B A.

Hucusque satis in quærendo audacula visa, locum concedo alteri.

### HYRAMVS.

Restant ex animalibus pisces, insecta, & vermes; ex quibus quedam ad Chymiam transferuntur, pro quæstione, Quid sit, quædam pro quæ-

ENIGMA  
251.

quæstione, An sit, declarandâ: Nos in primâ quæstionē persistemus:  
*Quot sunt pisces in mari philosophico, quod & rubrum  
appellatur?*

## S A L O M O N.

Duo celebratissimi, quorum vñus est *Aurata* nomine, alter *Hygrophœnix*.

*Aurata,*  
*piscis.*

*Aurata*, pisces est omnium timidiſſimus, qui in maris reflexu sub littoralium arborum radicibus se occultat, ibiꝝ; frondium agitatione exterritus facile capit, quadam velut deditioне: Huius viuaria pri-  
mus Romæ instituit Sergius, qui inde *Aurata*, vt pisces ab auri colore,  
quem habet, dictus fuit. Coit in suo genere attritu ventris, & oua con-  
cipit.

*Hygrophœnix.*

*Hygrophœnix* in mari rubro degit, ore semper hianti, & oculis viri-  
dantibus zonis distinctus binis, altera à branchiis ad caudam aurea,  
altera argentea medium corpus intercidente, maculis deinde inter-  
crustantibus cœruleis. Ex his vñus deuorat alterum, si Sol in aquas ef-  
ficaciores immittat radios, quod, quando Cancrum ingreditur, cui  
subiectum illud mare est, contingit. Quo tempore si *Aurata* capiatur,  
non nihil auri in ventre ipsius, quod deglutit, inueniri solet.

## H Y R A M V S.

ENIGMA  
252.

*Est & Echeneis pisciculus in nostro mari?*

## S A L O M O N.

*Est*: qui, licet paruus sit, naues tamen quamlibet impetuoso vento  
concitatas adhaerens retinet; de quo Plinius, *Est*, inquit, *paruus admo-*  
*dum pisces, petris assuetus, Echenœis appellatus. Hoc carinis adhaerente, nauestar-*  
*dius ire creduntur; inde Latini Remoram vocant. Et Lucanus 6.*

*Non puppim retinens Euro tendente rudentes  
In mediis Echenœis aquis, oculig, draconum.*

Huius ex nostris meminit Author duodecim tractatum, in allego-  
riâ vltimâ: *Nauis nostra*, inquit Rhasis in Epistola, plena est gigantum, que  
ne ventorum impetu in Syrites & alia pericula propellatur, hoc *piscicule*, tanquam  
sacrâ anchorâ, sistenda est. Fertur quoque hic pisces fluxum grauidarum  
vtero si ere, partusq; ad puerperium continere: Vnde & in Medicina  
vim eximiam promittit.

HYRA-

QVINTA DIES: DE ANIMALIBVS.  
HYRAMVS.

177

*Quid de Pastinaca marina refers?*

ENIGMA

253.

S A L O M O N .

Piscis est, quandoque natans, interdum etiam volitans. Eius radius ad alligatus umbilico mulierum faciles partus efficit. Latrocinare ex occulto transeuntes radio, quod telum est ei figens. Argumentum magnæ in hoc pisce solertia est, quod, cum sit piscium tardissimum, mugilem omnium velocissimum in ventre habere quandoque reperiatur. Contra ictum eius cinis ex eo combusto cum aceto illinitur. Oportet quoque eodem modo in nostro magisterio tardum superare velocem, & deuorare, ad cuius venenum auertendum calcinatione cinis ex eodem factus maximè conuenit: Et si huius pñscis radius adfuerit, hoc est, actiuilla pars, facilis erit partus nostri lapidis.

H Y R A M V S .

*Quid de Purpura & Murice sentis?*

ENIGMA

254.

S A L O M O N .

Purpuram conchyliorum voracissimam, aliqui Porphyram vocant. Eius crux maxima dignatio in tingendis lanis, præcipue si lapidis ictu cædatur. Flos inde extrahitur specie membranæ candicantis, qui contritus manum inficit. Latent sicut Murices contra Canis ortum tricens diebus. Congregantur verno tempore, mutuoq; attritu lentorem cuiusdam cere saliuant. Succum (quo tinguntur lanæ) euomunt cum vita: Propterea piscaiores viuas capere contendunt. Capiuntur paruulis rarissq; conchis, veluti nassis in alto iactis: inest his esca, quam appetunt Purpuræ, porrectisq; linguis infestant: at illæ aculeo ex stimulatae claudunt se, comprimentq; mordentes, ita pendentes auiditate sua Purpuræ tolluntur.

Murex quoque pñscis marinus est ex concharum genere, ex cuius humore fit iridem color purpureus; Vnde & pro purpurâ solet accipi. Frequens est hic pñscis & nobilis apud Tyrum, vbi ysum purpuræ præbet. De Murice Martialis:

*Sanguine de nostro tinctas ingratæ lacernas*

*Induis, & non est hoc satis, esca sumus.*

Z

HYRA-

SEPTIMANÆ PHILOSOPHICÆ  
HYRAMVS.

ENIGMA

255.

*Nostro in mari Tyrio nil frequentius nec gratius Mu-  
rice agnoscimus ; Sed quid Philosophi de hoc statuunt ?*

S A L O M O N .

Nil quoque frequentius in Philosophorum scriptis occurrit, quam Tyrius eorum color, & purpuræ sanguis : Ut patebit ex Turba eorum. Dardanus : Scitote enim, inquit, quod amne, quod spiritum habet, etiam sanguinem habet : Huius igitur mementote. Chambar ibidem : Deinde iterate ipsum, & fieri aurum Tyrii coloris. Bacasser : Tantummodo hoc curate, complexionem aptate, deinde multo tempore leniter coquite; neq; decoctionis & imbibitionis rite debeat, quousq; videatis Txir in Tyrium & regium i efrum decoratum. His verbis, quamvis mortua sunt, inest tamen vita intelligentibus. Cadmon : Deinde continuè coquite, & imbibite, donec terra & puluis fiat Tyrius Mundus : Ita aquæ pluræ distincta nomina sunt. & tamen Tyrium colorem nostrum in unoquoq; regiminis gradu sui coloris nuncupamus. Quid filius : Vt im miracula videbitis, & hoc, quousq; Tyrius color per agatur, donante Dco, cui laus in eternum. Agmon quoque ibidem in Corollario, Est albus, inquit, ater, & rubeus, arenus, Tyrius, omnibusq; mundi coloribus expositus : Quæ hoc loco sufficiant.

H Y R A M V S .

ENIGMA.

256.

*Quæ sunt causæ, propter quas adeò frequenter Tyriuna  
colorē inculcent ?*

S A L O M O N .

Multiplices : Aliæ ex illis vulgo, aliæ solis Philosophi notæ : Vulgo innotuit color purpureus, & Tyrius, cui assimilatur color Finchiaræ. At Philosophi pater, quod lanæ Phryxei Arietis hoc colore tinet fuerint per Mercurium, qui dicitur illius vellera deaurasse. Succus seu sanguis purpureæ philosophicæ non nisi ex viuo conchylio, in illius morem, habetur : Hoc est, non ex vulgaribus metallis perfectis, aut imperfectis, quæ mortua dicuntur, sed ex philosophicis, cum suo sulphure & argento viuo preparatis. De quo loquitur Arnoldus in Epistola ad Regem Neapolitanum, dicens : Et est sciendum, quod in dictâ compositione seu lapide sunt Sol & Luna in virtute & potentia, ac elementis in naturâ :

naturâ: quia si hec non essent in ipso composito, non fierent inde neque Sol, neque Luna: Et tamen noue est ipse Sol, sicut Sol communis; nec ipsa Luna, sicut Luna communis: quia ipse Sol & Luna existentes in illa compositione, sunt meliores, quam ipsa natura vulgaris; ed quod Sol & Luna dicti compositi sunt viui, & alii vulgares sunt mortui, habito tamen respectu ad ipsum Solem & Lunam in dicto lapide existentes, ut dictum est, licet Philosophi nominauerint ipsum lapidem Sollem & Lunam, ad finem illum; quia in ipso lapide sunt potentialiter, non autem visibiliter. Non autem absque causa est, quod Purpura lapidis ictu Purpura lapidis ictu sanguinem præcipue reddit. sanguinem præcipue reddat lanis tingendis vtilem. Ita enim in philosophica quoque conuenit: Nam neque hæc cruorem amittit, nisi lapide cædatur à Mercurio, quem ministret Vulcanus. Attritu corporis mas & foemina coëunt, vnde hæc instar ceræ viscosam materiam expuit, quæ noui fœtus futuri seminium præstat. Casta itaque est Purpuratum generatio, ut & philosophicarum: Mater enim harum virgo est, & pater non concubuit. Viscosis quoque spermatibus hic opus est, non vnguinosis, nempe spiritu duplice, præparante & tingente: Præparans, ut habet clangor buccinæ, est in vapore humidus, non vnguinosus, sed viscosus, acedinis maximæ, mediocriter subtilis, ignis asperitatem de facili fugiens, & in eo euanescentes, vim soluendi corpora & spiritus possidens, aqua in seipso existens: Et sic notandum est, quod aliud est vnguinosum, & aliud viscosum: Nam ex humido viscoso generatur lapis; sed ex vnguino generantur metalla. Spiritus tingens est Mercurius philosophicus, cum suo fulphure rubeo vel albo naturaliter sibi commixto in ipsa minera & terræ visceribus mediocriter præparato, artificis arbitrio relieto usque ad consummationem perfectam.

## HYRAMVS.

*Cur Ægyptii Oxyringum pifcem inter sacra animæ* ÆNIGMA  
lia coluerunt?

257.

## SALOMON.

Propter easdem causas, cur alia hieroglyphica venerati sunt, ut iam ante demonstratum est: Habet autem Oxyringus os prælongum, in modum rostri, oculos fulgentes, alba supercilia, dorsum viridans, pennas priores nigras, reliquas albas, caudam prælongam & viridem,

Z 2

quam

quam aurea linea medium discriminat. Est autem hic ex piscibus, quia pudenda Osiridis in Nilum abiecta deuorârunt. Hinc ab iis, veluti scris, in posterum, Ægyptios abstinere iussit Isis.

HYRAMVS.

Quis sunt reliqui?

SALOMON.

*Phagrus & Lepidurus* in Nilo frequentes.

HYRAMVS.

ANIGMA  
258.*Quid factum igitur cum pudendio Osiridis absumptis?*

SALOMON.

Iis ea ex auro fabricari præcepit, quæ solenni ritu appendit tholos templi, populo adoranda, tanquam partem daram à Natura generationi aptam, & necessariam ad propagationem generis humani, Phallumq; vocauit, cuius numen sacerdotes sacrificiis honorârunt; eiusq; cultum statim amplexi sunt Arabes & Syri. Postea tota Græcia, tamen Asiatica, quam Europæa, Deumq; istum generationis efficacem nominauerunt Priapum. Hebræi hunc quoque venerati sunt, & vocauerunt Phægor, vel Beel-Phægor, cuius Antistes fuit Maacha Regis Asæ mater, ut habetur 2. Paralip. 16.

HYRAMVS.

ANIGMA  
259.*Quo sensu hæc dicuntur, an historico, an allegorico?*

SALOMON.

Allegorico quidem ab Ægyptiis dicta sunt, sed ab ignaris historicis accepta & intellecta. Nihil enim aliud, quam pars agens, sulphuri philosophico adempta, per membrum genitale reiectum revera intelligitur, hoc est, sulphur combustibile & comburens, à quo tanquam primo agente sulphur philosophicum generatur; si vero id ad esset huic, philosophicum dicinon posset, essetq; corruptioni obnoxium.

HYRAMVS.

Sed nos hoc agamus: Suntne plures miræ naturæ pisces, qui aliquid mysterij Chymici occultent?

SALOMON.

Sunt, nempe Charace, Dactylus, Echini, Glaucus, Lampetra, Lucerna, Ligæ,

*Ligo, Strombus, Testudo, Torpedo, & Triton.* Hi, ne moremur reliquos, nobis sunt vsui.

Est autem *Charace* pisces pinnas habens utrinq[ue] maximas, caudam *Charace*-  
auri fulgore purpureis dissectam lineis.

*Dactylus* est ex genere concharum, ab humanorum vnguium similitudine appellatus: Remoto in tenebris lumine, alio fulgore claret, h[ab]et in ore mandentium, in manibus, in solo & veste, decidentibus guttis, vt etiam natura illa videatur esse in succo, quem habet in corpore. In hoc itaque Lunæ proprietas & color manifestè appetit, siue argentea claritas, vt in *Charace* Solis siue auri fulgor.

*Lucerna*: verò pisces linguâ igneâ per os exsertâ serenis noctibus lu- *Lucerna*:  
cet, quasi Vulcano propria.

*Lampetra*: à lambendis petris nomen adepta est. *Lampetra*.

*Glaucus* pisces tantâ in sobolem charitate teneri dicitur, vt paruos *Glaucus*: fœtus nunquam deserat, præstoq[ue] ad se contra noxia: in periculis solidos deuorat, deinde revomit.

*Echinus*: verò captum si concerperis in frusca, & in mare proieceris, *Echinus*: paulò post partes conuenire ac reuiviscere aiunt: Sæuitiam maris præfigit, ideoq[ue] correptis se munit, caleulis, ne fluëtibus excutiatur: Ora habet in medio corpore in terram versa, pro pedibus spinas gerens: In orbem volvit, quando ingreditur.

*Loligo* extra aquam sese efférens volitat, caput haber inter pedes, & *Loligo*: ventrem, & cruentum nigrum instar armamenti.

*Strombi* è genere concharum Regem habent, quem sequuntur, *Strombus*: quo cuncte concesserit. Hunc capientia aut aspicienti bonum omen portendi dicunt: Hinc apud Byzantios Attica drachma proposita est: illum explicantibus.

*Testudo*: oua gignit in terra, quibus arena obtrutis statim ad mare redit: mox diebus sexaginta peractis, iterum ad ouare uertitur, quæ arenâ refossa: vt iam animata comperit, paulatim deducit in pelagus. Reperiuntur in India, quarum conuexum scaphæ magnitudinem æquat.

*Torpedinem*: si quis attigerit, morbo afficitur: Vis enim occulta in *Torpedo*: manum pescatoris hamum vel rete tenentis ex hoc pisce subito proicitur, vnde paralysis & torpor illi accidit, ne *Torpedinem* ex aquis cleuare possit.

*Tritonem*: verò se vidisse Romæ Pausanias dicit, colore ranarum pa-

*Triton*: Z. 3 lustrum,

lustrium, squamoso corpore, branchiis sub auribus, naso & ore humana-  
nis, dentibus firmis, oculis glaucis, manibus digitisq; similibus con-  
charum testis, cauda sub alium vice pedum, vt Delphini. Ex quibus  
omnibus diuina omnipotentia & prouidentia relucer, quod aquas &  
mare tam diuersis animalibus repleri voluerit, quorum tanta est varie-  
tas formæ, essentiæ, magnitudinis, & numeri, vt terrestria longè exu-  
perare dicantur. Plinius præter fluuiatiles pisces 176. genera eorum in  
mari viuere tradit. At sunt innumera alia, quæ à nullo obseruata vn-  
quâ fuerunt, licet de Piscium natura quidam diligētissimè scripferint,  
vti sunt præter dictum Plinium, Aristoteles, Oppianus, Gesnerus, &  
Rondeletius. Nec verò in iucundum fuit magnis Imperatoribus ha-  
mo pisces captare, quemadmodum Augustus animi laxandi gratiâ fe-  
cisse fertur; & Nero, qui aureo reti piscari est solitus.

## HYRAMVS.

**ENIGMA**  
260.

*Quid authores iam dicti tradunt in genere de differen-  
tia, sensu, generatione, & proprietate piscium?*

S A L O M O N.

Aristotelis  
sententia.

Magni laboris & longi temporis opus esset, hæc omnia velle recen-  
sere; verum paucis perstringere hæc loco & otio nostro saltem con-  
ueniunt. Placet Aristoteli, nullas esse piscibus mammas, nec meatum  
vllum genitalium perspicuum, sed excrementorum tantum locum.  
Partes quoq; audiendi, odorādi, sentiendi, nullas esse perspicuas, præ-  
ter oculos. Spirant autem pisces, quia pulmonem habent, aut aliqua  
pulmonis loco viscera; verum pro aëre aquam recipiunt plætique ad  
cordis refrigerationem. Annotata est enim in quibusdam æstuio calo-  
re anhelatio, aquâ tepente, & non satis cor refrigerante, & in aliis osci-  
ratio. Dormiunt quoque. Coëunt plœrunque in occursu paruo con-  
tractu, mensibus Martio, Aprili, Maio: Autumno pauci, vt Salpa &  
Sargus. Sunt, quiteguntur corio & pilis, vt Vituli, Hippopotami, & hi-  
animal pariunt. Alij corio tantum, vt Delphini; cortice, vt testudines;  
silicum duritiâ, vt ostreæ, conchæ; crustis, vt Locustæ; crustis & spinis,  
vt Echini; squamis, vt carpio; asperâ cute, vt squatina, quâ lignum &  
ebora poliuntur; molli, vt Murænæ: alijs nullâ, vt Polypus: Sunt qui  
gregatim errant more armentorum, vt haleces; Volant alii, vt acci-  
pitres,

pitres, hirundines, sæpiæ; Sentiunt hyemem procellosam, cuius horrore multi limo se prouoluunt; alij sub petris glomeratim conquiscent; nonnulli ima petunt, quod sentiant summa pelagi tempestatis bus obnoxia; redeunte verò serenitate, profiliunt, & libenter littus prospiciunt. Partu quoque inter se differunt: Lopus bis parit anno, Mulluster, cæteri semel, ac diuersis temporibus. Prægnantes gaudent aquis dulcibus. In Africam feruntur viuere nonnulli in feruenti palude. Sunt, qui colorem mutant: Nam Menæ hyeme candidæ fiunt, æstate nigriores; Phycis Vere varia est, alias candida. Inimicitias inter se exercent, Delphinus & Balæna, Cæstres & Lupus, Muræna & Congrus. Est & sequentium mira proprietas: Acipices pariunt confacto ventre. Æluri habent oculos, qui ad vices Lunæ aut ampliores fiunt, aut minores. Anguillæ generantur scopulorum attritu, sine coitu, sine ouo, nec est alia eorum præcreatio. Alec piscis sola nutritur aqua, & Aphyæ pisciculi ex aqua & pluvia procreantur. Canicula piscis est foetus suos à partu natantes deuorans, vt eos ab omnibus iniuriâ tueatur. Cantharus est zelotypus, qui pro consorte ad intermissionem cum suo genere pugnat. Citharœdus à caudâ ad verticem lineas habet instar nerorum musici instrumenti distentas, unde nomen accepit, frequens in mari rubro. Aulopa est dorso cæruleo, ventre albente, corpore linea aurei coloris discriminato, quæ à vertice ad caudam desinat.

## HYRAMVS.

Sed nos his DEI Summi mirabilibus tantum tactis acquiescemos. Quam latè enim pater Oceanus ille, qui terram vniuersam intersecat innumeris anfractibus & sinibus, tam multiplex est animalium in eoviventium natura & proprietas. Non possibile est aquas tantæ profunditatis & spatij metiri, communes piscium sedes & patrias siue paternas domos; immò nec incolas seu inhabitantes eas: Tuum nunc erit, Rex Serenissime, in interrogando progredi.

## SALOMON.

Ut pueri balbutiendo sermonem maternum sensim succedente tempore addiscunt: Sic oportet Naturæ matris nostrum omnium voces,

voces, signaturas, & clamores tacitos in animalibus, aliisq; eius operibus impressos nos lallando imitari, donec, quid sibi velit, perfectè cognoscamus. In Lymira fonte Lyciæ pisces ter fistulâ euocati, veniunt ad augurium, teste Plinio. Hierapolis Syriae in lacu Veneris ædituorum vocibus parent vocati, exornatiq; auro veniunt adulantes: scalpuntur, ora hiantia manibus inserendis præbent. Quod si haec multa & irrationalia vsu edocta præstent animalia; quid nos non faciemus ratione illuminati, experientiâ eruditî, & doctrinâ omnis antiqui.

**ENIGMA**

261.

quitatis politi? *A* Vermium verò genere primò incipiam,  
quia ex his nonnulli ambiuii sunt, ut Crocodilus, tam quadrupes, quam vermis, tam in terris, quam in aquis degens: Cur hunc Ægyptii venerantur, eiq; sacros dies statuerunt, & si contingat, liberos ab eo rapi, parentes latantur, tanquam se Deoplacere existimantes, cui escam generunt?

**S A B A.**

*Crocodilus* inter hieroglyphicalocus habuit, quia ex minimo maximum euadat, hoc est, ex ouo ad 22. cubitos excrescat: Ona parit humi, diem in sicco agit, totam noctem in flumine. Eius cultus varias, at fabulosas, causas assignarunt Ægyptii, quasi Ægyptum ab externis hostibus securiorem præster, iis metuendus tam aquis, quam terris; Et quod Menam Regem per paludem Mæridis transportarit; qui ideo hanc hostiam pro Deo coli mandauerit. Verum quod superstitione ex ignorantia hominum Crocodilo honorem hunc inuenierit, vt alii brutis, satis constat. Hinc conditæ vrbes Crocodilopolis, Lycopolis, Leontopolis & his similes. Colubri in aqua viuentis fel habentibus & adipem *Crocodilus* nihil potest nocere. *Squamis* prædurus unguies & dentes habet robustos, pellemq; circa tergum impenetrabilem. Reperitur in Nilo. Philosophici itaque sulphuris ideam gerit, quod in Nilo nostro inuenitur: cum Nilo enim Ægypti albescit primò, vt Rhasis in Epistolâ ait, nec à quoquam superari potesta aquâ vel igne.

**SALO-**

Draconis & Serpentis naturam iam sàpè expositam <sup>ENIGMA</sup>  
audiuimus; Quocirca non diu in his morabimur repes <sup>262.</sup>  
tendis.

S A B A.

Verum est, nihil frequentius apud antiquos, quàm horum allegoriis hanc scientiam tradere, quod patet in dracone velleris aurei, Hesperidum horti, Cadmi, aliisq; innumeris; in gemino serpente Mercurij caduceo implexo, Aesculapij, Saturni, & his similibus: Similitudo desumpta est à lubricitate & volubilitate serpentini generis cum Mercuriali conuenientis.

SALOMON.

*Cur Mercurius Deorum nuntius, ut fingitur, in caduceo suo geminos gestat Serpentes alternatim sibi implicitos?* <sup>ENIGMA</sup> 263.

S A B A.

Apud Ethnicos hæc res pro historia recepta est, vt pote qui Mercurium non pro fœtito, aut allegorico Deo, sed vero Iouis filio habuerunt. Inde narrant, Mercurium virtutem sui caducei probasse, in serpentibus duobus, mare & fœmina, inter se acriter dimicantibus, dum in medium illorum hanc virgam coniecerit, quo facto inter se discordis irâ depositâ reconciliauerit, & in mutuam amicitiæ gratiam reduixerit. In cuius rei memoriam Mercurius vtrumque serpentem sub caduceo alligauit, cuius hæc vis celebratur, quòd animos dissidentium componat, omnemq; litem tollat, vigilantibus tactus soporem inducat, mortuis vitam restituat; quod intelligendum tamen est de Chymicis subiectis, quæ sunt mas & fœmina, vnius, nempe serpentini, generis, & valde inter se pugnant, cùm mas sit calidus & siccus, fœmina frigida & humida. Hæc duo Mercurius coniungit, hoc est, Mercurialis natura. Nam Soli calido & Lunæ frigidæ additur Mercurius, veluti commune illorum vinculum. Lìs tollitur, dum fœmina in marem transfertur, & fit res, vna sine vlla diuisione. Atque sic soporsive congelatio inducitur vigilanti seu mobili parti, cui & vita postliminio restituitur, cùm mortua per solutionem fuerit.

ENIGMA

264.

*Cur idem Mercurius Æsculapio, cui Serpens quoque pro insigni est, obſtetricis officium præsttit, quemadmodum & Dionyſo?*

S A B A.

Ex Coronide enim Nymphâ & Apolline natus Æsculapius traditur, at matre priùs à Diana extinctâ, quæ cùm rogo eſſet imposta, Mercurius è ventre mortua Æsculapium extraxit. Ita & Dionysum ex marre Semele combuſta, ſiue ex cineribus eius, eductum narrant, & à Mercurio deportatum in Nysam Arabiæ urbem, ut ibi à Nymphis educafetur. Æsculapius verò ipſa Medicina eſt perfectissima metallorum & hominum, quæ Apollinis & Coronidis, hoc eſt, Cornicis ſoboles eſt. Absque nigredine enim non naſcitur, cùm caput Cœri vel Cornicis ſit operis principium. Pòtius ipſa mater (ſiue nigredo) à Diana ſeu Lunari albedine interimitur, ſed Mercurius ex ventrenigredinis fœtum viuum extraxit. Ex cineribus enim parentis ſui nouus naſcitur Phœnix, qui eſt colore phœnicio, ſiue ruberrimo, ales pulcherimius in infinitum multiplicabilis. Serpens Æsculapio assignatur, quia dicta Medicina ex argento viuo ſeu Mercurio originem ducit.

S A L O M O N.

ENIGMA

265.

*Cur Dionyſo quoq; Serpens occiſus aſcribitur?*

S A B A.

Dionysus enim, valgo pro vini repertore & largitore habitus, idem eſt, qui Apollo, Adonis, Sol, aut Iupiter, hinc illi Amphisibena, hoc eſt, quæ ytrinque caput habeat, palmite vitis interempta traditur. Hæc ſi quidem cum gemino Mercurialis caducei ſerpente reiſla conuenit, & nil niſi masculinam ac ſemineam virtutem in uno ſubiecto congregatam denotat. Ferula autem vitis interiit, hoc eſt, liquore, qualis in vite continentur, ſumpto continentे pro contento. Oportet enim duo illa argenta viua, quorum vnum eſt masculum, alterum ſemina, per conuenientem aquam, vinum aut acetum ſolui & interimi, ut non im-merito duplex anguis palmite occiſus à Dionyſo perhibeatur.

S A L O -

SALOMON.

*An hoc quoque spectat Python ille ab Apolline sa-* ÆNIGMA  
266.  
*gittis interemptus?*

SABA.

Python serpentem significat, at philosophicum, hoc est, argentum viuum, currens, seu mobile, quod ab Apolline seu sulphure fixofigitur, & quasi occiditur, dum in mobilitate suâ sistitur. Hinc Pythia festiuâ certamina in Pythonis memoriam ac Apollinis honorem instituta in Cycladum insulis dicuntur, non quasi serpentalis revera ibi trucidatus fuerit, aut Apollo Deus, qualis singitur, vixerit; sed quia artifices Chymici primi Philosophi & Poëtae ea allegoricè intellexerint, & solenni ritu celebranda introduxerint, ut patet ex lib. 4. Hieroglyphicorum Ægyptio-Græcorum.

SALOMON.

*Quid sibi vult Echidna tot monstrorum mater?*

ÆNIGMA

267.

SABA.

Echidna & Typhon, hoc est, serpens & ventus procellosus, siue turbidus parentes statuuntur Cerberi, Chymæræ, Sphyngis, Hydræ, Hecates, & similium monstrorum, & draconum multorum, nō absq; causa: Per hæc monstra enim materia philosophica plenumq; denotatur, quoad primam eius originem, quæ constat ex se: pente aquoso, & turbine sicco, siue ex argento viuo & sulphure: Vnde Echidna aquam seu humidam & frigidam eius subiecti partem denotat, & Typhon sicciam & calidam. Capitur quoque pro Hydrâ ab Hercule occisâ. Vnde & Ouid.lib.3.Fast.

*Sanguine Centauri Lerneæ sanguis Echidna*

*Mixtus ad auxilium tempora nulla dabat.*

SALOMON.

*An Herculis Hydra differt ab Echidna & aliis eius* ÆNIGMA  
268.  
*generis serpentibus?*

SABA.

In genere omnia eiusmodi sunt vnum & idem, in specie vero di-

Aa 2 uersa:

uersa: Est enim anguis quædam sexus fœminæ, aquosa, humiditate abundans, quæ dicitur Echidna, & quo quis alio nomine. Hæc quatenus ab artifice trucidatur, hoc est, ab Hercule, Hydra, quatenus ab Apolline, siue sulphure fixo, Python nominatur. Hæc est multorum capitum, & excubias agit ad vellus aureum, & hortos Hesperidum; id eoq[ue] in soporem & stuporem Narcoticis sulphureis redigi debet, antequam occidi, & pretium eius obtineri possit.

## S A L O M O N.

*Eſtne Vipera Philosophis cognita?*

ENIGMÆ

269.

S A B A.

Sæpiſſimè eius mentionem faciunt in allegoriis, & alibi. Ut enim Theriaca communis ex Viperis conficitur, ac denominatur; sic Theriaca philosophica ex iisdem, at philosophicis, quæ tantum differunt à reptilibus illis, quantum Medicina aurigena à vulgari. Viperæ solæ ex serpentibus terrâ conduntur, cæteris in arborum aut saxorum cauis latentibus: Sic & Vipera philosophica non vegetabilibus, adhæret, sed ex terra ſinu deponitur in lucem. Illæ vi parere dicuntur, quia fœtus enecta matre prodeunt, prærum pentes lateræ eius: Vnde Manuanus:

*Et emoriens infausto Vipera partu.*

Vlcisci enim videntur fœtus patris ſui mortem, cum mas in coitū, capite in os fœminæ inserto, ab ea examinetur. Eodem modo in ſolutione pater ſive ſulphur, à coniuge ſua ſive argento viuo interimitur, ſed in coagulatione argentum viuum, velutimater, iterum à ſuo fœtu tallione separatur, & morte punitur. Contra lepram, capitiem, rugas, & morbos quamplurimos medicamentum ex Viperis confectionum prodidit, re ipſa expertum est; Ita & Philosophi ſuam Medicinam ad eadem mala non minus efficacem afferunt, imò longe efficacissimam, non ſolum in humano, ſed & metallico genere lepram abſtergere, hoc eft, omnem impuritatem tollere valentem.

## S A L O M O N.

ENIGMÆ

270.

*Quæcauſa eft, cur à Vipera demorſi, ab eadem remeō dium ſibi præſentissimum querunt?*

S A B A.

Vt ignis igne, & frigus frigore è corpore humano, cui impressio-  
nem fecerunt, exterius elicitor; Sic quoque venena à venenis attra-  
hantur; vt patet in morsu canis rabiosi, si eiusdem pili aut sanguis vul-  
neri adhibentur: in ictu scorpij, si idem mortuus, aut oleum eius pun-  
cturæ applicetur, in bufone pestiferis bubonibus admoto, & aliis in-  
numeris similibus. Eâdem ratione venena reptilium quorumcunque  
à viperino Alexipharmacô expelluntur interius assumpto, aut attra-  
hantur exterius parti afflictæ applicito. In animalibus enim, & qui-  
dem venenosis, animalium venenosorum, eorumq; morsuum, aut da-  
morum antidotus, & medela quærenda est. Imò & metallorum mor-  
bi, & defectus ex metallis perito remedio curari & compleri possunt,  
& debent, prout Philosophi omnes fatentur.

S A L O M O N.

Suntne alia Serpentium genera, quæ operi philosophico ENIGMA  
conueniunt? 271.

S A B A.

Quamplura; sed præceteris antè dicta sufficiunt nobis, quibus an-  
nuntiaretur *Porphyrus*, *Salamandra*, & *Basiliscus*.

Est autem *Porphyrus* palmi magnitudine, capite candidissimo, reli-  
quo corpore purpureo, morsu innocuus, quia edentulus est; inueni-  
tur in vadois Indiæ locis: Captum incolæ caudâ suspendunt, & de-  
fluat em ex ore viuentis liquorem excipiunt vasculis æneis, absque  
dubio, pro medicinâ corporis externâ Narcoticâ vel venenis resisten-  
te. Similiter quidam de *Natrice* seu *Hydro* tradunt, quod captus in æstu,  
caudaq; suspensus supra peluim aquâ frigidâ plenam, ita ut aquam at-  
tingere nequeat, lapillum ex ore in peluim demittat, à quo (sit fides  
penes authorem, Hollerijs commentat.) omnis aqua mox exiccatur,  
& evanescat. Hic lapillus hydropticis admotus omnem eorum aquam  
intercutaneam exicare creditur. Verùm in *Natrice* philosophico la-  
pis inuentus experimento facto Philosophos nunquam sefellit, quin  
omnem humiditatem in eorum corpore seu subiecto hydroptico ab-  
sorberit, & exiccárit, atque ita morbum sanitatem redactâ integrè pe-  
pulerit.

ENIGMA  
272.*Quid Salamandra præstat in hac arte?*

S A B A.

Habent Philosophi suam Salamandram, quæ communi in virtute non absimilis est: Illi enim tantus adest rigor, ut ignem tactu extinguat, non alio modo, quam glacies. Vnde, quia illæsus transeat per flamas, in iis genitus creditur, quod tamen secus se habet: Nam si esset genitus in eo, non extingueret; sed potius conseruaret ignem proprietate & identitate lux naturæ cum igne conuenientis: Similia enim similibus conseruantur, & contraria contrariis tolluntur. Philosophorum itaque Salamandra cum in igne nata sit, cum non fugit, nec extinguit, nec ab eo noxam ullam sentit. Quod enim infanti lac est, id eorum Salamandræ ignis existit, nempe cibus & nutrimentum. Hinc Auicenna in tractatulo, cap. 5. *Philosophi*, inquit, *hunc lapidem nostrum vocauerunt Salamandram*; quia sicut Salamandra solo igne nutritur, & vivit, id est, perficitur, ita & noster lapis: Et Arnoldus Rosar. lib. 2. cap. 7. Oportet tamen ipsam medicinam diutius assari super ignem, & nutriti, sicut puer in pueribus.

SALOMON.

ENIGMA  
273.*Basiliscus iam restat; Quis illius usus in Philosophia?*

S A B A.

Abeo similitudinem quamplures Philosophi ducunt, quod nimirum eorum medicina per contactum solum omne argentum viuum trucidet & coagulet in noctu oculi, haud aliter, quam Basiliscus omnia videntia solo visu interimat. Veluti enim venenum præsentissimum ex oculis & toto corpore Basilisci in oculos videntium eum incidit, quod cerebrum & cor mox inuadit, atque ita animal obstupefacit, & extinguit: ita vis insensibilis ex Medicinâ philosophicâ mittitur in omne argentum viuum, cui appropinquat, quâ illud stupescit & congelatur in momento. Nam licet & cætera serpentum venenosorum genera hominem aliaq; animalia morsu & iactu occidunt, tamen non tam subito, quam Basiliscus, id præstant, & non, nisi vulnere facto, aut eorum veneno intrinsecus hausto, aut ratione certi alicuius loci: Sic in Phœniciasolo Viperarum halitu pernecari homines, tradunt,

dunt; quod radicum illic succrescentium potentiam creditur fieri. Salpingæ quoque, quæ formam habet tubæ, latebra calcata mortifera est: Lucanus lib. 9.

*Quis calcare tuas metuat Salpinga latebras?*

Et Salamandra populos imprudios necare potest. Nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit veneno, & eos, qui ederint, necat frigidavit, nihil aconito distans. Idem beneficium est, si in puteum cadat. Sed hæc de venenosis dixisse sufficient.

### S A L O M O N.

In paruis labor est, qui Insectis à nobis adhuc debetur. Hæc ne elatis prætergrediamur aut despiciamus superciliis, non nihil de iis disquremus. Inter animalia enim insecta, et si exigua sint, referuntur, & animali sensu & motu, membrisq; organicis, præ vegetabilibus, aliisque naturis pretiosissimis, pollut. Hinc Maro Poëta non neglexit Culicem Apesq; ferè minima animalcula singulis libris describere. Verum nos non ingenij ostendandi gratiâ hæc quantulacunque tractabimus; sed proposito nostro & huic diei de Animalibus quibuscunque colloquium postulanti, saltem satisfaciemus, quod ad Creatoris laudem & nostram utilitatem aliquatenus cedat. Tuum itaque, Hyrame Princeps Illustrissime, erit, de hisce tantulis, quantulis differere, eorumq; proprietates, quatenus natura operi conueniant, paucis euoluere: *Quæ tua est opinio de horum noxiorum, utpote vermiculorum & infectorum homini molestias, cæterisq; animalibus creantium, sine vel usu in mundo?* Posset enim ea quis, ut & antè dicta reptilia venenosa, superflua, aut inutilia & onerosa aliis creaturis existimare: quemadmodum hæretici Manes & Marcion posuerunt duo principia inuicem contraria, binosq; Deos: Bonum scilicet, à quo bona creaturæ sint creatæ, & malum, à quo mala, veluti videri possunt pleraq; insecta & reptilia.

ENIGMA

274.

Manetis &  
Marcionis  
hæreticorū  
sententia  
falsissima.

HYRA.

Eam opinionem dictorum hæreticorum esse falsissimam, iam pri-  
dem orbi innottiit: Omnes enim creaturæ vnum agnoscunt Creato-  
rem, eumq; non solum bonum, sed O P T I M U M ex optimis, Sum-  
mum ex summis, maximum ex maximis: Ipse solus Tri-Vnus creauit  
mundum, qui mundus revera est sui respectu, aut cosmos, siue orna-  
tus, aliorum: Omnia enim creata ad ornatum vniuersi mundi spe-  
ctant, nec quicquam inuenitur, quod non speciem suam ostendat ob  
varietatem delectabilem. Sic quoque singula sunt munda in sua na-  
tura, nec immundum aliquid inter corpora creata offenditur per se  
ita dictum: Interim sunt naturarum contrarietates, antipathia, odia,  
& affectus aduersi, veluti & amicitia, sympathia, & similitudines:  
**Contrarie-  
tates natu-  
rarum.**  
**Abusus.**  
Accedit abusus, qui omnia per se bona & innoxia, vertit in mala & ve-  
nena per accidens. Ignis, aqua, ferru, aurum, vinum, & eiusmodi innu-  
mera alia per se nō nocent, nempe in suo legitimo usu, à quo si recesser-  
int, fiunt nocentissima homini. Ita viperæ, serpens, bufo, arsenicum, napel-  
lus, & his similia, in suo bono usu bona sunt; malo mala & venena.  
Qui hæc ministrat alteri sciens volensque, pessimus est; & abutitur  
Dei creaturis, ex quibus quoque medicamenta bona fieri possunt à  
bonis, hominum usui & sanitati accommodata, vt Theriaca, & alia ad  
pestem, cancrum, & similia mala, præstantissima. Idem dicendum de  
plarisque insectis, in quibus sunt, quæ dulcissimum cœli torem, mel  
dictum, congerunt; at habent acus in sinu, hoc est, spicula & armæ ho-  
minoxia. Utq; Apes sunt mundo viles, sic eundem ornant, nec  
quid immundi præ se ferunt, licet ex vermis, homini non admio-  
dum gratis, per putrefactionem in fauo natis ipsæ fiant alatae, se se que  
propagent per congestionem mellis & ceræ; hoc est, dum sibi de vi-  
etu & recto prospiciunt, datur ipsis loboles per naturam, absque coitu  
aut sexu distincto. Ita muscae maiuscule ex vermis fiunt, & per ver-  
mes in carnes quascunque aut facies emissas se propagant. Erucæ in  
papilioes transeunt. Gurgulio in frugibus, bruchus ex vermis ter-  
ræ crassitudinis articuli vnius digiti, & sic reliqua insecta mirabili  
transmutatione ex vna animalculorum classe in aliam migrant. Nec  
verò ullum genus est vivorum, in quo maiores metamorphoses inue-  
niantur, si notentur, quam in his animalium minimis. Ex quibus con-  
stat, omnia hæc esse bona non solum; sed & naturæ varietatem, & Dei  
volun-

Apes.

voluntatem liberrimam omnipotentiæ coniunctam demonstrare. Præter hæc, cùm pigri per stimulos ad labores; & somnolenti, immobiles, desides ad motum, vigilias & curas excitandi sint, hinc & aliis usus crabronum, apum, muscarum, culicum, cimicorum, pulicorum, & horum similitudinum in mundo apparet. Hæc enim inter animalia sunt homini, quod vespere, dum, tubi, cardui, tribuli, loliumq; inter vegetabilia. His ad laborem, ne inpe ad eorum eradicationem, incitatur, illis ad motum: Labore ad vigilias, & motu ad laborem, vigiliis ad somnum præparatur & exercetur, ne pigritia, luxuries, otium, desidia, somnolentia, paupertas, & moibi inde subsequentes vna cum fame hominem infestent: Ad virtutem itaque stimuli videntur illa insecta, Insecta, muli ad virutem.  
quæ mala habentur vulgo, & avitii dehortari. Sunt quoque eadem aliis, præsertim auiculis, ut hirundini, monedulae, gallinæ, & diuersis eiusmodi, proutrimento & esca, in certa regione & genti pro pœna. Bruchus infestat arborum folia & fructus; sic eruca. In aliis regionibus formicæ, culices, locustæ, & his similes bestiolæ in magnitudinem aut multitudinem in usitatam crescunt, quam maximè nocent.

## S A L O M O N.

*An unquam hæc tantilla nocuere mortalibus?*

ENIGMA

275.

## HYRAMVS.

Herodotus scribit, in solitudine Indiæ arenosa formicas gigni, canum quidem magnitudine minores, vulpium verò maiores, earumq; nonnullas apud Regem Persarum visi, in venatu captas, quæ autum è cauernis ibidem erunt. Sic apud Dardas Indorum populos montem esse trium millium stadiorum ambiitu, & sub eo aurifodinas, in quibus formicæ vulpibus non minores aurum effodiunt. Plinius libro 11. tradit, in Ægypto formicas esse magnitudinis luporum; quas non est dubium, multa hominibus inferre damna. Ammianus de culicibus lib. 18. narrat, quod eorum agminibus per Mesopotamiæ terras reserta sint omnia, vbi Solis radiis exarscerit tempus, quæ insigni sint magnitudine. Locustæ verò quam noxiæ sint quibusdam populis, hinc patet, quod incolæ Gasij montis adeò quondam à locustis infestati sint, ut contra eas Louis auxilium implorauerint, & Seleucidum auium eas perimentum aduentum. Apud Thessalos, Illyrios & Lenios quoque graculi nutriti sunt contra locustas, quarum vi maxima obruntur,

Bb

vbi

vbi certa mensura fuit præfinita, quam cùm singuli enecârant, ad magistratus detulerunt. Magnesij & Ephesij contra locustas ordine militari ad bellum exierunt; tanta eorum animalium scatebant multitudine: In Cyrenaica regione lex est ter anno eas debellandi: Et in Syria militari imperio cogebantur necari, quæ tamen Parthis in cibo (vt & S. Iohanni Bapt.) gratae fuerunt. In Indiâ ternum pedum longitudinis esse traduntur, cruribus & femoribus ferraruim usum præbentes, cùm inaruerunt. Imò ciuitatem in Africa à locustis deletam vel fugatam tradunt, vt à ranis in Gallia, à talpis in Thessalia, à serpentibus Amyclas, à muribus in colas ex Gyaro insula, à cuniculis in Hispania.

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

276.

*At quid Insecta ad Medicinam aurigenam  
conferunt?*

H Y R A M V S.

Nihil omnino, nisi quoddam monstrant rationem & modum, quo ars ea vera sit, & procedat in mutatione metallorum: Si enim metamorphosis est in animalibus, quæ habent membra organica: multò magis & citius illa est possibilis in metallis, quæ sunt homogenea, & unius naturæ, nempe argenti viui. Nam sic datur specierum prius existentium, unius in aliam migratio. Eam autem mutationem contingere singulis annis per naturam, in propatulo est.

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

277.

*Quomodo hoc in Insectis fit euidentis?*

H Y R A M V S.

Formica cùm continuo labore se diu macerârit, tandem ex naturæ beneficio accipit alas, nec opus habet amplius ire, redire viam, seseq; curis confidere, cùm veluti musca facilè per ærem volet, quo cunque velit, vt sese oblectet in sene etutem, aut potius senio deposito iuuentutem nouam muscarum acquirat, quo & aëre gaudeat, quæ terram laboris experta sit: Ita ferrum, quod diu hominum usui accommodatum fuit, durosq; labores pertulit, ex Dei per naturam dono, migrare potest in aliam speciem, in qua quiescat, & fruatur otio, nempe aurum, vt quod sub pedibus toties cōculatum fuit, ad coronas Regum exal-

exaltetur; quod in vomere terram arauit, & coluit instar coloni, in Nobili Rosato numismate nobilitetur; quod in gladiis & lanceis vim & mortem hominibus intulit, idē in auro Medicinam & vires iisdem præstet, & vitā prolonget, morbis propulsatis: Formica terrā mutauit aëre, ferrū igne: Auro nil deperit igne, inquit Aureolus Poëta, sed alter.

*Et teritur prefā vomer aduncus humo.*

Quod itaq; sunt alæ formicis, id sulphur est aurigenum ferro. Illis species reptilis transit in volatilem, quæ longo interuallo inter se differunt; hoc, nempe sulphure aurigeno ferrum, metallum imperfectum, non fixum, impurum, in metallum perfectum, fixum & purum: Denatur illis alæ, & huic tinctura fixa, & in momento hoc erit aurum, & illæ bestiolæ volatiles.

### S A L O M O N.

Formicam esse diligenter patris familiās ideam & exemplar, non est dubium; ideo alibi à nobis dictum meminimus: *I piger ad formicam, & discit laborare.* Qui enim cum formica assiduè suo labore fungitur, ist tandem quoq; cum ea alas nanciscitur, quibus ex hac mortalitatis & miseriae valle ad æternam beatitudinem euolet, & sic de senio terreno transferatur ad cœlestem & sempiternam iuuentam, ex gratitâ D E I per Christum misericordiâ. Multa sunt in historia naturali formicarum consideranda homini scitu per necessaria, & imitatione dignissima, præter iam dictam laboris assiduitatem. Formicæ viuæ mortuas sepeliunt, magnâ in suam speciem charitate; quam virtutem si ab iisdem plætique hominum discerent, longè plura inuicem misericordiæ exercerentur opera: Vnde non immerito quidam in formicarum contemplatione consenuit, ut aliis, inde Melissus dictus, in apum.

*At quid de Apibus dicendum?*

ENIGMA

278.

### H Y R A M V S.

Illarum cœlestis seu aëria videtur origo, cum domunculæ earum, id est, cellæ cereæ, nutritimentum seu ambrosia & Manna mellis, nec non tota prosapia ex floribus ortum ducant; flores autem à cœlo & aëre rorem & fragrantiam mutuò accipiant: Cœli virtus melli in fuis existenti, dum adsunt tamen examina in illis, infunditur, vnde Apiculæ nouæ generantur. Quamvis autem non per communem generandi modum se propagent Apes, hoc est, per coitionem duorum

Bb 2

sexuum,

seuum, maris & fœminæ, tamen ex solis fauis, nullis præsentibus Apibus, nulli quoque fœtus emergunt. Ex quo patet, potentiam quan-  
dam adultis inesse Apibus, quæ si diffundatur per fauos, ex putrefac-  
tione postea fœtus generari. Atq; hęc est perfectissima imago genera-  
tionis Medicinæ aurificalę, si bene in omnibus obseruetur: Vtrisq; est  
pater, qui non concubuit, & mater adhuc virgo: Vtrobique Sol, cœlū  
& parentes simul concurrunt, ut fœtus multiplicentur; Sol dat cau-  
sam efficientem, cœlum materiam, parentes formam; cumq; finis seu  
causa finalis nunquam deficiat: hinc ex quatuor his causarum gene-  
ribus effectus sequitur indubitus.

## S A L O M O N.

ENIGMA

279.

*Quid? Si nulla existerent Apes in natura, an sola pu-  
trefactione ex melle produci possent?*

H Y R A M V S.

Quæstio hęc ambigua est: Nam vbi Apes non sunt, vnde mel aut  
fauns? At nihilominus respondendum, quod, cūm desit forma & ar-  
chetypus, frustrā materia præparetur & excolatur. Virgilius in Geor-  
gicis, ex iuuenco cæso & putrefacto vermiculos gigni scribit, qui in  
examina Apum transeant, ex inuentione Aristai, Apollinis & Cyre-  
nes filij, qui primus usum mellis & lactis coagulum introduxisse fer-  
tur. Quod, an cum experientia & rei veritate conueniat, aliorum erit  
facere periculum. Si micæ panis inciderint in mel, inde per putrefac-  
tionem formicas generari, scribit Basilius Valentinus clare 8. Quæ-  
res quoque admiratione est dignissima: Triticum vel filigo per se pu-  
trefactione dat gurgulionem, in panem vero redacta, vna cum melle,  
formicam; quæ sunt diversæ rerum species: Eodem modo per putre-  
factionem ex materiâ his forma, ex corpore spiritus, ex aurificato aur-  
icancs.

## S A L O M O N.

ENIGMA

280.

*Quid de Bombyce censes?*

H Y R A M V S.

Huius generatio præceteris admiranda occurrit: Ex seminio enim  
sem. sina-

sem. sinapis simili calore Solis verno, vel mammarum muliebrium tempore diurno nocturnoque, fiunt viui vermiculi admodum exigui, qui mollioribus mori foliis nutriti excrescunt in erucas oblongas & copulentas, donec ad acmenem iustum peruerenterint: Tum in soporem incidunt profundum, vnde experientia texturam suam circa sese instar vesicæ oblongæ continuant, quæ sericum præbet pretiosissimum; Ex vesiculis illis Bombyx non amplius vermis repens, sed alatus papilio in lucem de novo editur utriusque sexus; nempe mas & foemina, qui post mutuum complexum generationem primam reiterant, auctale seminum post se relinquunt, ex quo ipsi prodierunt: Et hic est integer circulus bombycinæ generationis, qui habet duos hemicyclos: primum usque ad completionem texturæ, quo tempore est adhuc vermis, seu eruca; alterum ad completionem generationis suæ. Eodem modo apud Philosophos inuenitur seminium tinturæ aurigenæ, quod nutritur foliis arboris Lunariae, & sit eruca magna & ponderosa, in cuius corpore Sol & Luna continguntur post nutritionem. Hæc est illa compositio, quæ in soporem profundum coniecta reperitur, vnde non, nisi ab artifice vero excitari potest: quo ab acto, operatio incipit texturæ, non quidem texendæ, sed retexendæ per solutionem: Cum verò ab albedine ad rubedinem tendit, idem est, tamquam alatum insectum ex verme fiat, hoc est, papilio: Papilio tale semen multiplicat, quale illud, ex quo ab initio generabatur: Et sic apud Philosophos vnu venit; duobus circumductis hemisphaeris, donec caput & cauda draconis vna resstant indissibilis & perfecta.

## S A L O M O N.

Suntne alia genera Insectorum, quæ ex sola putrefacta ÆNIGMA  
281.  
actione oriuntur?

## H Y R A M V S.

Crabones ex putridis equorum carnibus enascuntur, scarabæ ex asinorum, ut apes ex vitulorum, seu iuencorum, ne moremur alia.

## S A L O M O N.

Verum his relictis, vrpote vilissimis animalium, ad nobilissi-

mum, nempe ipsum Hominem contemplandum nos conferemus, quod vt sequenti die commodè fiat, hîc acquiescemus in præsenti, atque sic Quintum Colloquium nostrum de Animalibus finiuimus. Sit ille æternum celebratus à nobis, qui hominibus rationem, tanquam diuinæ particulam auræ infudit, vt non solùm omnia sibi subiecta agnosceret; sed & suam ipsius naturam, Diuinitatem, & cœlestia arcanissima scrutaretur, quod in proximis diebus & colloquiis, quæ restant, fieri est conueniens.



SEPTI-

SEPTIMANÆ PHI-  
LOSOPHICÆ  
Dies Sexta:  
*DE HOMINE.*



## SALOMON.

**M**AGNA fuit hominum illorum audacia prudentiæ con-  
iuncta, qui, relictâ terrâ, quæ humanæ genti incolenda concessa est, aliud elementum, vtpote vastum ingressi Oceanum, compactis lignis seu nauibus, vitam suam, vt à morte vix palmum distaret, crediderunt, alium quo  
quare-

Audacia  
humana  
prudentiæ  
coniuncta.

quærerent orbem, animalibus, hominibusque, veluti hunc, inhabita-  
**Columbus,** tū, quales fuēre Columbus, Americus, & Magellanus; quorū primus  
**Americus,** nouas insulas inuenit; alter Americanum, de suo nomine sic dictam, de-  
**Magella-** texit & lustravit; terius totum terrenum globum aq[ua]tis vndiquaque  
**nus.** cinctum circumnauigauit, incredibili & penè humanam saperante  
 imbecillitatem magnanimitate & constantiâ. Nonnulli alij vitam  
 suam speculationi, & literarum seu rerum in naturæ profundis clau-  
 stris abditarum indagationi dederentes, & quasi mancipantes, inter  
 cetera PARVVM MUNDVM, hoc est, HOMINEM, sibi perlui-  
 strandum sumpserunt, non per solum aut saltem ad eum tendentes,  
 homo. sed per Genij & ingenij salem, hoc est, animi sublimitatem & subtili-  
 tatem: quales fuēre Hippocrates, Galenus, Vesalius, & horum sequa-  
 tes innumerari alij. Histantum sagacitatis & doctrinæ, quantum ante  
 Galenus. dictis audaciæ & prudentiæ ad suam intentionem perficiendum fuit.  
 Vesalius. Verùm prioribus Aurisacra fames, & sitis regorum, insatiabilisq;  
 Causæ im- cupidus. ditandi Principes, obiici potest; his ultimis non item. Illi  
 pulsiu. priuatas, & paucorum commoditates; hi publicas, & generis humani  
 Finales. respexerunt & augmentarunt. Quanto enim honestius est, mederi  
 malis & morbis hominum (quod æternus Dei Filiushic in terris ver-  
 sans ante alia omnia elegit & perfecit diuinitus) quam cupiditatibus  
 propriis indulgere: tanto quoquem inoris Mundi, quam maioris, per-  
 uestigatio plus utilitatis communis vita attrulit. Nec maius est, fulcare  
 lintribus vndas, & superare fluctus Oceanî, quam artificioſſimum  
 Summi ARCHITECTI & Creatoris exemplar, vniuersi ideam,  
 scrutari in venis, arteriis, arteriis, membris, visceribus, sensibus, moti-  
 bus, musculis, & innametis aliis. Ibi est profunditas maris, qua tam  
 quolibet plûbo cognosci potest; hic est profunditas naturæ, qua plû-  
 beo ingenuo indagari nequit, sed Entheo, igneoq;, & ad intima pene-  
 trare. Hæc iam nobis hoc die nauigâda est ynda, hoc & quorū tractien-  
 dū, hic Oceanus emetiendus, vt in mundū immensum, & intelligibile,   
 paruo humani corporis orbe pererrato, tandem appellamus. Vt Apelles  
 ex linea agnitus dicitur, ita Omnipotentia Diuina ex uno homine eha-  
 cescit. Ægypti Philosophi hieroglyphicis vsi literis mentem suam de  
 arcanis arcanissimis intelligenti cuicunque aperuerunt, aliis brutalis  
 ignoratiæ præcluserunt: Sic Creator æternus, unus in essentiâ Deus,  
 triinus in personis, mysteria quâ plurima humano corpori insculpsit,

qua

quæ legere & intelligere est rationabilis Adæ filij. Nos omnia de homine dicere, quæ dicenda sunt, non possumus, nec volumus, quia non libro, vel die uno, sed per magno volumine vix integro anno ea perficienda forent; sed saltem summa rerum præcipuarum capita, quatenus in primis philosophicæ intentionis sue Aurigenæ arti elucidandæ conueniant, perstringemus, ne in Oceanum semel ingressi aberremus à portu, ac nimis letò præfixam tangamus metam. Tuitaque, Regina Sapientissima, ad hunc scopum tuas diriges quæstiones, & tanquam chalybs ex silice, igniculos ingenio meo extundes, meq; aptè interrogando, ut antehac, aptum quoque ad respondendum efficies.

## S A B A.

Sunt, Rex Sapientissime, in hoc septempedali corporis humani mundo, licet per exiguo, tot & tanta magnalia consideranda, ut ferè nesciam, vnde initium ducam, aut ubi finem querendi faciam. Verùm ne confusio ordinem perturbet, ipsa mihi ex re proposita methodum & diuisionis seriem præfiniam, quæ absque dubio naturæ & subiecto conueniat. Ut itaque Orbis hic terrenus iam cognitus, constat quatuor maioribus partibus seu portionibus ab æquore & Oceano limitatis, nempe Europâ, Africâ, Asiâ, & Americâ; sic & homo quatuor componitur sinibus, seu capacitatibus, vtpote Capite, Pectore, Ventre, & Artibus extremis, qui sunt crura cum pedibus, & brachia cum manibus: Ego Europam parui huius Mundi, hoc est, Caput hominis, mihi contemplandum sumam; alij sequentia.

DE EVROPA, SEV CAPITE PARVI  
MVNDI, ID EST, HOMINIS.

*En hīc primō abstrusissimum occurrit, cur tantā diuersitas in humana facie obseruetur, ut vix duo Menachmi in mille myriadibus occurrant; Quæ tua hac dñe, Rex Serenissime, est sententia?*

## S A L O M O N.

Similia non sunt idem, vt dici solet; ita nec in diuidua vnius speciei, etiamsi sint in vicem simillima. Hinc etsi Æthiopes simi, & Tartari capitones sibi valde assimilentur, ita vt fratres & ex uno ovo prodiisse

Cc omnes



omnes & stimari possint; tamen magnam inesse singulis etiam in facie diuersitatem, quâ à se inuicem distinguantur, fatendum est. Nec refert, etiam si unus pro altero habeatur, vt Mercurius pro Sosia Plautino, & Iupiter pro Amphytrione; id enim in discerneatis & iudicantis perperam impotentia existit: Humanæ enim oculi & aures, vt & cæteri sensus, in suis subiectis sapè decipiuntur, etiam sic ut optimè valentes à multis bestiis vincantur: Vnde illud:

*Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,*

*Vultur odoratu, Lynx visu, Simia gustu.*

Mirum est iam recens editos agnos agnoscere balatum matris suæ inter mille sonos alios, & persimiles balatus, & vice versa ouem agnelli. Idem dicendum de gallina & pullis, & ferè brutis omnibus sonos eidentibus: Humanæ hinc aures sunt nimis crassæ, vt differentiam in tam similibus vocibus non discernant. Ira statuendum quoque arbitror de visu; aliisq; sensibus. Vertagus leporum & quicunque canis herum suum absentem inuestigat, & vestigium eius inter mille alia agnoscit, per quod, veluti per filum dirigitur eò, quò tetendit, donec inueniat. Hic quoque hominum nares obesæ nimis sunt. Ut taceam vultures, quos ferunt per quingenta millia passuum cadaueris putorem præsentire. In visu non solum lynx; sed aquila, & nocturnistenebris felis, aliæq; bestiæ hominem ante cellulunt. In summa, individua singula à singulis differunt, dummodo exquisitè & acutissimè ab homine discernantur, aut diuidentur. Hinc diuersitas faciei humanæ patet in genere, nempe cum unaquaque res etiam viuis speciei non sit per omnia similis alteri, eiusdem speciei, sic conuenit, ne & hominum faciei delineamenta inter se sint simillima. Quod vero aues & feræ viuis speciei, vt & ouum ouo, & aqua aqua, sibi inuicem assimilentur, aut assimilari videantur, si non per omnia, tamen ex partibus: id ascribendum naturæ architectri processui, quo illa similia ex similibus progenerat. Et si homines, & cicures ferè pecudes, vt oves, boves, equi, canes, & his similes extrinsecus in forma & colore quandam similitudinem ostendant, contingit ea ex variis caulis, quarum 1. est imaginandi vis, in muliere valde potens, in bestiis obtusior: 2. varietas esculentorum & potulentorum, quæ in homine modum omnes excedit: 3. parentum naturalis dispositio, & in facie similitudo; qui cum binis sint, pater & mater, inde ex imagine duorum potest fieri ter-

Sensus hu-  
mani in suis  
subiectis  
sapè deci-  
piuntur.

Dissimi-  
litudinis ani-  
malium in  
externa for-  
ma & colo-  
ne causæ.

tia,

tia, eaq; infinitæ differentiæ, secundùm magis & minùs ad vnam, quām ad alteram declinando. 4. His accedit casus, qui ab imaginatione interiùs efformatur, aut lāsio, compressio, & his similia. His quatuor causis omnem ego varietatem humanarum formarum seu facierum asscripsero; quibus si quis constellationes & cœli variatos motus, tanquā causam superiorē, veletiam Dei expressam voluntatē, tanquam primam, annumerare velit, pro libitu poterit: Nos hīc de naturalibus, inferioribus & notis causis agimus, & intelligi volumus.


## S A B A.

*Satis superq; hic nodus solutus, & problema explicatum ENIGMA  
est. At quæ causa est, ut et Cardanus miratur, cur in tam  
angusto humanæ faciei spatio tam augusta forma & stupen-  
da pulchritudo contineri & variari potest?*

## S A L O M O N.

Pulchritudinem aut venustatem humanæ faciei esse bonum frigile, quod consumatur ab annis, & leui febricula expugnari possit, vt Poëtæ canunt, notum est, ideo nilei fidendum, nec nimium credendum colori: At nihilominus quæ pulchra sunt, cùm acceptissima habeantur naturali quodam & cœco appetitu; dicaturq; pulchritudo, regnum sine armis, aut satellitum absq; regno: hinc permulti quoq; sapientes, inter quos in primis Plato est, eius encomium mirificè extulerunt. Cardanus libris de subtilitate eiusdem causas scrutatus est, qui hac de re consulendus. Verūm ne alterius opinionem mæ responsioni prætendere videar, cùm quod vni pulchrum, alteri non item aestimetur: existimo in certâ proportione vñfis partis, eiusq; particulæ, ad aliam, eiusq; particulam, & omnes, & singulas, ita vt vna aliam non excedat, mensurâ, id est, longitudine, latitudine, & crassitudine, vel tenuitate, nec situ, nec colore, pulchritudinem veram faciei aut corporis consistere, quam vultus & gestus concinnus, hoc est, oculorum, vocis, morum, staturæ, incessusq; decoradaugeant. Plura de hac materia a incipiti, cùm quilibet se Paridem arbitrum & elegantem spectatorem formarum arbitretur, non subiiciam, ne cum Homero audiam illud:

*Laudibus arguitur forma, &c.*



**ENIGMA**

284.

*Verum intremus in Europam nostram, quia, ut Philosophus dicebat, & hic Dii habitabant; hoc est, humani capitis sensum & intellectum multum diuinæ originis habentem, perlustremus: Quæ species Reipublicæ hic adumbratur, aut quomodo?*

## S A L O M O N.

**Vires ani-**  
**maz.**

Summum verè Imperium cum Septemvirali Senatu exprimitur: Nam omnium primò est ex Septemviris, *Vis Sensitiva: 2. Appetitiva: 3. Locomotiva: 4. Adfectiva: 5. Discretiva: 6. Memorativa: 7. Ratiocinativa:* Ac denique Summus Imperator, qui vt à dictis refrænatur in sua potentia, tamen liberè agit, & eos ipsos iterum regit & coërcet, & est

**I N T E L L E C T U S   V O L V N T A T I** iunctus, seu, voluntarius.

**Sensitiva.**

Prima *Vis sensitiva*, aliàs sensus communis dicitur, qui communiter omnibus quinque sensibus externis, aut potius sensuum organis præsidet & excubat, nunquam non pro Republica corporis humani vigilans, & prospiciens, ne illud detrimentum capiat. Hæc potentia in oculis est visuia, in auribus audiens, in naribus olfaciens, in linguâ gustans, & in singulis partibus tangens; quæ vis facit, vt oculus magis videat, quam speculum; auris magis audiat, quam concava rupes, & sic de aliis. Estq; vna & eadem, quæ oculis & auribus, ceterisq; sensibus adest, quod inde patet, quia intenti acutæ auditioni eo momento, quo audiunt quid, obiectum non vident, & econtrà, quo intentè quid vident, non sentiunt aut discernunt voces loquentium.

**Appetitiva.**

Secundò est vis *Appetitiva*, quæ *Sensitivam* sequitur, & *Locomotivam* necessariò præcedit. Hæc in vilissimo animalculo, Musca, vna cum *sensituâ & locomotiuâ* obseruatur celerrimæ & expeditissimæ operationis: Exempli gratiâ, si in æstate, tempore calido, digitum teneas supra muscam, illa mox hoc sentit, sibi nempe insidias fieri oculis suis fatigacutè cernens, vtitur itaq; vi *sensitivâ*: Si digitum celerrimè compreas in illam; fugâ sibi salutem querit, dura celerius auolet, quam vt tangi possit, & sic vtitur locontiuâ, quæ fieri nequit ante appetitivam: Nam non fugit, antequam videat motum digitii versus se tendentis,

dentis, nec fugere potest, antequam de fugiendi necessitate sibi nunc incumbente, cogitet: In homine *Appetitua* est perfectior quidem, cum ab aliis operationibus promoueatur quoque, sed tardior, quam in plenisque bestiolis. Hæc vis iucundo vel iniucundo incitatur: quâ pœcudes in æstu querunt & appetunt umbras.

Tertiò est *Locomotiva*, quæ, ut dictum, appetitiam mox sequitur; *Locomotiva* est, quæ à cerebro fluit in nervos & musculos, & perficitur per ordinata. ganica membra, spiritibus animalibus motuis, eò ordinatis.

Quartò est *Vis Adfectiva*, seu concitans affectus in corde, quales *Adfectiva* sunt *ira*, *tristitia*, *letitia*, *amor*, *merus*, & his similes. Hæc potentia est valdè furiosa, & cum impetu obruit cæteras virtutes omnes, nisi dometur à sequentibus, præsertim Intellectu: quem sapienter, ut rabiosi equi aurigam excutiunt, vel non audiunt, ut meritò de affectibus dici possit Maronis ille versiculus:

*Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.*

Quintò est *Vis Discretiva*, quæ alias *Phantasia* dicitur, quæ species *Discretiva*. rerum absentium voluit & revoluit, componit, & dividit, sed rudi Minervæ, ita ut distinguat nigrum ab albo, calidum à frido, totum à parte, maius à minore, quæ dicuntur sensibilia communia, & sit iudex inter diuersorum sensuum obiecta, illud esse rubrum, hoc dulce, aliud fœtidum, quartum sonorum, quintum leue aut ponderosum. Hæc vis in homine est absolutior, quam in bestiis; quia lumine clarissimo intellectus perfunditur & illustratur, secundum personæ qualitatem differentem, interdum magis, interdum minus.

Sextò est *Memorativa*, quæ rerum species recondit, seruat, & depro-Memora- mit, ut comparet cum præsentibus absentes, vel contrà, & est tan- tia. quam Arca & Gazophylacium, in quo quantò plura noëmata seruantur & continentur, eò maiorem scientiam & prudentiam causantur. Hæc est cancellaria fidelissima dicti Imperij, ex quâ omnium actorum testimonia proferuntur ad rem propositam confirmandam, vel refutandam. Tribus autem in primis corroboratur & augetur, nempe quot & qui- Locis, Imaginibus seu Iconibus, & Temporis obseruatione, quæ ea- bus corro- boretur & adest in omni historiâ, seu rerum gestarum memorîa, sunt præcipua & veluti primogenia membra: in architectonicâ, fundamenta; & in texturâ, stamina.

Septimò est *Ratiocinativa*, quæ homini propria est, cum ante dictæ Ratioci-

potentia etiam plærisque bestiis insint, aliis magis, aliis minùs; & propriè vocari potest *Intellectus passiūs*, cuius officium est, rationes & causas rerum proponere, vnum ex alio colligere, momenta cuiusq; ponderare, numerare ab unitate in infinitum, numeros sibi inuicem addere, vel ab inuicem subtrahere, multiplicare, diuidere arithmeticè, & proportiones numerorum comparare secundùm Regulam, ac inde summam veram deducere, artes inuentas discere in primis subtiliores, mechanicas, & liberales, nouas inuenire, automata excogitare. Exemplum est in Archimede conspicuum, qui sedens in balneis voluit explorare, quantum argenti esset admixtum coronæ aureæ, hanc in vrnam aquâ plenam immersit, & aquam effluentem ponderauit, sic aurum purum eiusdem ponderis in eandem vrnam aquâ plenam impo-  
suit, & aquam effluentem ponderans inuenit pauciorem; inde ratio-  
cinatus est, quantum argenti, quod ferè duplo maius est auro eiusdem  
ponderis, coronæ esset ab aurifabro admixtum.

## S A B A.

**ENIGMA**

285.

*Scitè equidem, nec iniucundè Septem Viros humani  
capitis, tanquam Europæ paruæ Principes descripsisti:  
nunc Imperatorem seu Regem summum his omnibus impe-  
rantem delineabis.*

## S A L O M O N.

Verum est, quod Seneca inquit: *Quilibet habet Regis animum intrase-  
ipsum: Intellectus enim voluntati iunctus, cogi non potest, non supe-  
rari, nō supprimi; sed veluti in iunctus Imperator suā libertate & domi-  
nio in omnes alios inferiores semper vititur, & gaudet. Hic est ultimus  
& supremus iudex, à quo sententia definitiva semel lata suspendi ne-  
quit, nec alias appellari maior aut superior Iustitiae vindicta: Hic, quic-  
quid intellectus passiūs seu vis Ratiocinatiua inuenit, tractauit, per-  
egit, diuidicat, & ex omnibus & singulis inter se collatis conclusio-  
nenem axiomaticam vniuersalem deducit. Exempli gratiâ, Cinerem esse  
corpus rarum, concludit inde, quia vas cinere repletum capiat ferè  
tantundem aquæ, quantum caperet, si vacuum foret. Iam verò duo  
corpora non possunt esse in uno loco, nec penetrare se in uicem, sed  
necessum est, ut aér, qui plurimus est in cinere aduentitius, unde &  
corpus*

corpus rarum dicitur, cedat aquæ, & abeat, & sic cinis plurimum aquæ imbibat. Hæc est nobilissima in homine operatio, quæ vniuersalia, genera, species, & à materia abstracta capiuntur & intelliguntur, quâ maine ho- Nobiliſſi-  
substantiæ spirituales, vtpote anima rationalis, Angeli & Deus ipſe. mine ope-  
ratio.  
considerantur. Hæc est vis diuina homini insita, in Angelis excellens,  
vtpote incorporeis, in mortalibus à fæcibus corporis nimis impedita  
& incarcerated, quæ exercetur absque organis corporeis etiam in hu-  
mano corpore: eget autem, dum est in corpore, antè dictis Consilia-  
riis septem, qui per instrumenta corporea suas functiones obeunt &  
perficiunt, quibus læsis, vel impeditis, vel deprauatis per fumos, vapo-  
res melancholicos, sanguinis nimium affluxum, casus, vulnera, & his  
similia, intellectus per accidens lœditur, impeditur, vel deprauatur, nō  
quidem in essentiâ, sed operatione. Sic Princeps bonus à Consiliariis  
(qui dicuntur Principia oculi & aures) non bonis seduci potest, vt  
omnia eius consilia ad damnum populi subiecti specent, pietati, iusti-  
tia, legibus & bonis moribus contraria, vt meritò dici poslit cū Poëta:

*Quicquid delirant Reges, plectuntur Achii.*

Est præterea hic Intellectus Agens dictus, respectu Pasiui, à quo licet es-  
ſentialiter non differat; tamen modo operandi distinguitur. Vbi ad-  
miranda quædam T R I - U N I O contemplatione dignissima oc-  
currit, quod nimur res intelligens, res intellecta, & res, per quam  
intelligitur, sit vna & eadem res numero, hoc est, quod intellectus  
agens, intellectus patiens etiam vis ratiocinativa dicta, & species in-  
telligibiles re ipsa conueniant, officio non item, idq; est Exemplar Notabile  
DEI TRI-UNIVS euidentissimum, & speculum absolutissimum. exemplar  
S.S. Trini-  
tatis.

S A B A.

*Quæ maxima est Europæ huius dignitas?*

S A L O M O N.

Quod Imperium habeat non tyrannicum; sed iustitiâ & clemen-  
tiâ temperatum. Hinc est, quod intellectus agens seu Imperator nihil  
agat, quod non per Septem-viralem Senatum fuerit vel cognitum vel  
approbatum. Inde dicitur, nihil esse in intellectu, quod non priùs  
fuerit in sensu: Per sensum enim particularia ingrediuntur, ex quibus  
in intellectu fiunt vniuersalia, quæ sunt tantæ sublimitatis, vt à sensi-  
bus non capiantur. Hoc est, habet Rex sua Regalia & Maiestatis iura  
sibi

ÆNIGMA

286.

sibi reseruata, quæ cum nullo inferiorum communicare potest, etiam si velit. Non enim intellectus, si velit, facere potest, ut sensus capiat vniuersalia: Exempli gratiâ, oculi vniuersalem ideam canis, equi, vel spiritualis animæ. In hoc imperio sub Rege sunt tres magni Cancellarij, nempe *Sensitius*, *Discretius*, & *Memorius*; Sunt quoque tres alij Officarij magni, *Appetitus*, *Locomotius*, & *Adfectius*; quibus septimus superuenit, *Ratiocinatus*, qui cum Intellectu seu Imperatore interdum est idem, nec ab eo dissentit.

## S A B A.

**AENIGMA**  
287.

*Vnde illud est, quod Medea dicit:*

— *Video meliora, proboque,  
Deteriora sequor?* —

## S A L O M O N.

In hoc versiculo natura hominis per lapsum corrupta graphicè depicta est. In primâ illâ perfectione naturæ humanæ, hæc octo optimam harmoniam ediderunt, quæ magis, quam illa Musicalis Diapason, concentus concinnos repræsentauit: Nam *Appetitus* nil appetuit, nisi quod congrueret intellectui agenti & vero iudicio: *Adfectus* nil affectauit, nisi quod eidem placeret; sic *Discretus* & *Ratiocinatus* vni agenti intellectui paruerunt, nec non *Memorius* & *Sensitius*: Lapsu vero intercedente, hæ omnes potentiaæ sæpissimè in diuersa absunt. Appetuntur res, quæ licet summo intellectui non placeant, tamen quia delectabilia sint, non recusantur. Adfectantur quoque res intellectui agenti non conuenientes, quia vel in honesta sint, cum insamia coniunctæ, vitiosa, impia, libidinosa, iniusta, vel alio modo indecora: attamen cum sint vel utiles, vel iucunda, & illecebrosa, vel spectent ad speciem alicuius boni: Intellectus vincitur & succumbit ab Affectione, amore, odio, irâ, & eiusmodi aliis, vel alia potentia in inferiore, appetituâ, discretiuâ, vel ratiocinatuâ circumuentus. Hinc Medea considerans se esse filiam magni Regis Æætæ, nec decere se, ut patria bona, nempe vellus aureum quomodo & quibus mediis occupandum sit, prodat, patrem & patriam relinquat, peregrinum incognitum sequatur, statuit per verum intellectum, nihil eorum faciendum esse; sed Iasonem relinquendum, & animum ab eo alienandum;

quod

**Ex lapsu  
sive defec-  
tione no-  
stra à Deo,**  
**incômoda.**

quod erat verum iudicium intellectus agentis: sed hoc corruptitur & cancellatur per affectum amoris, qui dictat, tam formosum & virtuosum iuuenem amandum, ante omnia obstantia, complectendum, sequendum: Hinc discordia & lis in mente eius exoritur, nunc intellectu, nunc affectu vincente aut succumbente, donec amor, qui omnia vincit, optimum Rationis dictamen vicerit & pessimum dederit.

S A B A.

*Suntne in hac Europa plures Domini & Reges  
sui iuris?*

ENIGMA  
288.

S A L O M O N.

Imò; Quot organa, tot regna ibi habentur: Sunt oculi, aures, nasus, frons, lingua, maxillæ cum dentibus, buccæ, cranium, & quæ huc spectant alia: quibus singulis sua sunt officia & limites definiti, ita ut nullo modo cum axiomate Imperij, eiusq; Principum, hoc est, Intellectu, eiq; ditarum potentiarum magnificentia & dignitate comparari possint, aut debeant: Capax quidem cranium, dentes duri, oculi pellucidi, frons extensa, buccæ tumidae, lingua vocalis; sed haec omnia cum Intellectu æquiperari nequeunt. Hic imperat magnis Dominis, qui quò maiores existant, eò sublimius eius Imperium efferunt.

S A B A.

*Paulò antè dicebas, Intellectum non fieri organicis me-  
diis, & nihilominus species intelligibiles statuisti, Quomodo  
hoc intelligendum?*

ENIGMA  
289.

S A L O M O N.

Ita dixi, & verum est; Intellectus non est in loco physico, quia est Ens incorporeum, vnde nec continente se organo opus habet. Deinde cùm sit idem cum specie intelligibili, si species illa esset organica, vel corporea, talis quoque esset intellectus; quod non est: Vnde ipsa species intelligibilis est incorporea, qua cum perficiatur, hoc est, à se ipso, inde patet, quòd nullo organo Intellectus indigeat, nec locali, nec materiali.

S A B A.

*Quid est species intelligibilis, & unde fit?*

ENIGMA  
290.

Dd

SALO-

## SALOMON.

Reciproca posset h̄c dari responsio, nempe idem, quod intellectus, quo ad essentiam; sed nos rem elucidabimus, ut intellectus ab intellectu nostro, per actum reflexum, intelligi possit.

Res corporeæ à Deo conditæ, & per naturam propagatae, omnesq; alia alicuius subsistentiæ corpulentæ incorporeas sui imagines de sele quaqua versum, vbi non impeditur per obscura obstacula, iaciunt, quæ visu offeruntur, & in pupillâ manifestè apparent. Sic quoque à quibusdam rebus, non corporeis, vt pote à sonis & vocibus, abstrahuntur imagines, & à fumosis & aëriis evaporationibus; quarum hæ odoratui, vel gustatui, illæ auditui inferuiunt. Hæ imagines cùm insensu organis recipiuntur, species dicuntur sensibiles, quibus vis sensitiva operationem perficit. Ab his imaginib; particulatim per sensus collectis & memorie mandatis, alia longè subtiliores abstrahuntur, quæ pluribus visis, vel sensu perceptis ex æquo conueniant, & dicuntur Universales. Hæ sunt species intelligib;les, & intellectus ipse, qui vitroque genere vtitur, & sensibili & intelligibili in sua operatione. Quantum verò differt imago sensibilis àre corporea, cuius est imago, tantum ab hac intelligibilis.

## SABA.

ENIGMA.

291.

*Quo medio vel instrumento sensibiles illæ species reperiuntur et disponuntur, cùm illæ ipsæ non in se agant?*

## SALOMON.

Spiritus animalis vnde  
de stat.

Sius vis.

Est aliqua substantia in cerebro hominis, quæ vocatur Spiritus animalis, non quod merus sit spiritus incorporeus; sed proximè ad essentiam spiritus accedens ob subtilitatem & agilitatem. Et sanè si illorum opinio vera sit, qui spiritus creatos ex elemento purissimo simplicissimo igneo statuunt, spiritus ille animalis non impræterita dictus est. Hic fit ex purissima sanguinis, qui est calidus & humidus seu aërius, substantia in corde, & deducitur ad cerebrum, cuius frigiditate & humiditate eius caliditas & siccitas temperatur, vt sit agilis & habilis ad suas operationes perficiendas. Per hunc spiritum adeò nobilitatum in arteriis & venulis cerebri in modū retis diffusis, omnium sensuum actiones perficiuntur. Hic enim fertur ad oculos, & imagines rerum in iis apparetes accipit & transmittit ad memoriam vel phantasiam, quæ discreti-

uam

uam nominauimus. Idem in auribus excubat, & sonorum imagines captat, nec non in aliis sensuum organis id præstat. Hic est quoque, qui influit per nervos in musculos, & motum efficit. Per hunc omnes operationes sex priorum facultatum in actum ducuntur. Hic est visius in oculis, auditius in auribus, gustatius in palato, odoratius in naribus, & qui tactui inseruit, & motui in singulis membris. Hic spiritus continuo fluxu à fonte cerebri fluit in omnes partes per nervos, qui licet non inueniantur concavi, tamen tam subtilis substantia transiit facile admittunt. Pereundem, tanquam refluxu quodam, imagines seu species sensibiles ex quibuscunq; organis ad cerebri cellas, in quibus sensuum fit operatio & discretio, remittuntur, nullo motu locali intermedio spiritus; sed propagationis solius imaginis.

## S A B A.

*Quomodo differt hic spiritus animalis à rationali hos ENIGMA  
minis animâ, quæ quoq; est spiritus, et quomodo hæc ab 292.  
intellectu et specie intelligibili?*

## S A L O M O N.

Hic spiritus animalis qualis sit, iam satis demonstratum est; ita & intellectus, ex quibus differentia inter hunc & illum colligi potest. Verum anima hominis non est spiritus ille animalis, nec intellectus; sed ille est huius proximum instrumentum, intermedia naturæ & subtilitas inter corpus & verè spiritum dictum, hic facultas seu potentia essentialis, non accidens inhærens animæ statuitur. Cum enim anima sit substantia, non omnino otiosa est; sed Actus primus, seu primum mouens existit; unde actio illi propria est, intelligere, & vis, unde hæc operatio proficitur. *Intellectus:* Sic spiritus, quia intellectu vntuntur, Intelligentia à quibusdam vocantur, quæ non sunt ipse intellectus, sed hic earum vis & operatio seu operandi actus secundus, cum anima sit actus primus. Et nisi fallimur, per scalam quandam crassa & corporea ascendunt ad subtilitatem & spiritualem nobilitatem, hoc modo:

i. Sunt obiecta sensibilia corporea, & extra sensum posita.

i. Ex cibo & potu elaborato & concocto in ventriculo & epate, & à superfluitatibus purificato, sit sanguis purior. Scala.

2. Ab his imagines mittuntur in sensus, seu eorum organa.

2. Ex sanguine puriore fit in cordis sinistro sinu spiritus vitalis, igneæ ferè naturæ, qui vt magis temperetur, ad cerebrum mittitur, vbi in retiformi arteriarū complexu fit animalis.

3. Hæ imagines à spiritu animali, ad hoc subtiliato & habilitato, mittuntur ex sensuum organis in cerebri ventriculos, vbi à memoratiuâ seruantur, à discretiuâ discernuntur & comparantur.

4. Ab his imaginibus particularibus vniuersales, longè illis subtiliores & spiritualiores, producuntur, quibus vtitur Ratiocinatio, seu Intellectus patiens, & deinde Agens.

5. Ipsa anima rationalis hominis est adhuc longè subtilior & spiritualior, quam iam dictæ imagines vniuersales, & est, quæ operatur propriè per intellectum, impropriè per antedictas potentias.

### S A B A.

Non solum iucunda hæc; sed & homini scitu dignissima sunt. Ideò enim homo est rationalis, vt ratione vti, rationem per rationem indagare debeat, hoc est, seipsum noscere. Sint reliqua animalia sensus externi acutissimi: at bruta sunt, quia se sentire, quod sentiunt, nesciunt. Ita & multi homines quo ad formam visuntur; sed cur verè sint homines, id ignorant. Sensu communi, phantasiam & memoriam satis validè vtuntur, incedunt, loquuntur, litigant, aliis contradicunt, sua stabiliunt: sed Intellectum illum supremum, agentem, nunquam aut ratiōnē exercent: *Quæ tua de hisce est sententia?*

**ENIGMA**

293.

### S A L O M O N.

Sunt bruta seu animalia, quæ aliquo ex sensibus destituantur; sunt quæ omnes habent, & alia aliis perfectius. Homo non solum habet sensus externos & internos, sed quoque rationem & intellectum, non quidem auctu à primo ortu intelligentem, seu intellectuales operationes perficiēt; sed qui vsu & exercitatione excoli desideret. Infans nunquam audiens voces hominum, eas non addic̄it; nunquam videntis animalia, ea non agnoscit; & sic de cæteris sensibus iudicandum. Ita qui rationem non acuit disciplinā, doctrinā, scientiis, & artibus, manet brutis vel infantibus inexpertis persimilis. Etsi autem substantiæ non recipiunt magis & minus, quo ad essentiam: tamen is magis homo est dicēdus, qui magis operationes intellectuales solo homine dignas

dignas exercet, quam aliis, qui in brutalibus & sensualibus semper in-  
hæret, & quæ videt & audit, crasso discernit iudicio. Id nimurum est,  
quo docti & experti in rebus, disciplinis & artibus, gaudent præ ineru-  
dito vulgo & idiotis. Si alicubi semihomines degant, aut spiritus in-  
corporati: sanè hi sunt sapientes, illi ignari. Per scientiam enim intel-  
lectualis hominum fundus excolitur, ut fructus ferat immortales; per  
ignorantiam veluti tribulis carduisq; repletur, ne tantillum bonife-  
rat. Non solum corpus hominem format, sed potius anima intelli-  
gens. Illud est ut domicilium, hæc quæ possidet. Nec enim oportet co-  
honestari dominum à domo; sed domum à domino, ut Tullius testa-  
tur. Imò illud est cancer, hæc incarcerata, quæ nullum sibi à carcere  
honorem expectare potest.

## S A B A.

*Quomodo fit, quod homines plures delectentur corporis bonis & externis Fortunæ, quam Intellectus; cùm tamen hæc verabona sint, illa pro arbitrio usurpantis, interdum quoque mala?*

ENIGMA

294.

## S A L O M O N.

In causa est, quod homo hīc viuit vitam sensualem, seu potius sen-  
fibus deditam, velutianæa in utero materno vixit vitam vegetabilem  
plantæ, & post finem huius seculi victurus est intellectualem propriè,  
cuius hīc saltem rudimenta quædam ostendit. Habet quidem Intel-  
lectum, sed eo rarissimè vtitur. Habet & sensus, qui à suis illecebribus fa-  
cilius irritantur. Intellectus obiecta propria sunt Vnum, Verum, Bo- Intellectus  
num, Pulchrum, & Vniuersum; Deus ipse, angeli, & spiritus genera & obiecta.  
species omnium rerum. Hæc omnia non ita facilè occurrunt in intel-  
lectum, quam sensibilia in sensum. Hinc quæ voluptates oculorum,  
aurium, palati, narium & tactus conciliant, promptius admittuntur,  
vt sunt omnia pulchra, pretiosa, bene habituata, dulcia, consona, o-  
odorata, & titillationem excitant; & ea, quibus hæc comparantur. O-  
pes itaque, aurum, pecunia, thesauri, vestes, agri, prædia, & ea omnia  
sensibus benefaciunt; ideoq; pergrata sunt: Obiecta vero intellectus  
sensu non percipiuntur, nec à vulgo iudicantur, ideoq; neglecta ab  
hoc manent, & solum à sapientibus & ritè institutis appetuntur. Quò  
enim

enim quis plus beluinæ naturæ obtinet, eò magis sensuum oblectationi & voluptati est deditus, præsertim ventris, palati & Veneris; quo plus diuinæ, eò minus; magisq; contemplationibus æternorum bonorum se dedicat & mancipat. Hinc Philippa Dux Camerina tumultuoso suo inscribi voluit discrimina Intellectus & sensuum bonorum, his verbis: *Quæ sunt, pro iis, quæ non sunt;* *Quæ si essent, pro iis cùm sint, non sunt;* *Quæ videntur esse, pro iis, quæ claram sint, in causa sunt id, quod estis, scitis.* Scrupulum inieci, fateor: *Tuigitur, quisquis es, excute.* Sensibilia autem vera non sunt bona, licet videantur esse, & intellectuala, quæ non videntur, sunt.

## S A B A.

ENIGMA

295.

*Quæ causa est, cur Homo vocetur animal?*

## S A L O M O N.

Nullam video aliam, nisi consuetudinem: Si enim hominis estraiocinari, & animalis sentire, ut plantæ vegetare, ac homo dicitur animal, quia sentit (ut alij hanc rationem reddunt). cur non quoq; diceatur planta, quia vegetat: Sed planta per consuetudinem non appellatur, quamvis vegetabilis æstimetur; animal autem dicitur: quod si ratio sequenda sit, aut non erit animal, aut si animal est, quoque planta indicari poterit: Non autem sequitur, Homo habet organa sensuum, ut animalia propriè dicta; Ergo est animal æquè, ut illa: È enim ratione Plinij Epicuræa opinio firmaretur, hominem quoque brutum esse, sed ratione præditum: Animal enim & brutum conuertuntur inter se, licet brutum pro animalizationis non participe, homo pro eiusdem participe communiter capiatur: Si quis dicat, animalis vocabulum quoq; vegetabilem vitam comprehendere, nec opus esse, hominem propterea plantam vocitari; at quæro, Cur tum animal non dicitur planta? Nulla hîc est ratio præter consuetudinem, quæ fortè ab Epicuræis initium duxit, dum illi hominem animal rationale, seu brutum ratione præditum definierint, ut suæ opinioni patrocinium quærent. Dico itaque, hominem non esse animal magis, quam plantam; aut, si mauis, quam brutum planta est; Forma enim postrema perfectior tollit prioris imperfectioris denominationem & essentiam. Nec obstat, quod homo hic sensibus deditus vitam brutali similem degat; non tamen propterea brutum vel animal, ut nec planta tum fuit, cùm in utero

in utero matris solam plantæ vitam degeret: Quæ similia enim sunt, non sunt mox eadem cum iis, quibus assimilantur: Ita homo ad similitudinem Dei seu imaginis diuinæ creatus est, non ut esset ipse Deus: Et homo in hac vita magis animalis vitam agit, quam spiritus intellegens; non tamen propterea est animal.

S A B A.

*At cur Logici in suis illis terminis hominem describunt animal?* ENIGMA  
296.

## S A L O M O N.

Multa dicuntur ex hypothesi, quæ propterea non sunt. Sic orbis cœlo suèrè asscripti, ut homo causam aliqualem intelligeret efficiētem & materialem illorum motuum, licet revera nulli sint orbis. Ita animal dictus est homo, licet non sit, ut participatio sensus & motus in animali & homine communis declararetur.

S A B A.

*Caputne igitur est Europa præ aliis mundi partibus, hoc est, dominium in illas gerit, aut extendit?* ENIGMA  
297.

## S A L O M O N.

Macedonicum & Romanum Imperia in Europâ fuerunt amplissima, quæ in Asiam & Africam longe lateq; dominium extulerunt: At Persicum & Assyriorum nihil ferè iuris in Europam exercuerunt. Sic caput in homine præscribit toti corpori, quò mouetur, quid faciat, quid non; non autem venter, aut artus, aliæve partes capiti. Hoc dat, non accipit imperium. Et sensus cum intellectu, motusq; à capite descendit, tanquam à summa arce, in subiectas partes. Capiti sit reuertentia, non pedibus aut pectori. In hoc, tanquam in munitissimo castello sedet Dominus parui mundi, Imperator, & prospicit per binas oculorum fenestras, seu aurium ostiola in circumiacentia omnia. Ipsi manus & pedes ad nutum properant; ipsi brachia tutelam præstant; & reliqua viscera homagium seruitum q;ue.

S A B A.

S A B A.

De Europâ mihi satis succedat alius, qui Africam perlustraret.

HYRAMVS.

**ÆNIGMA**  
298.*Cur Africa pectus in paruo mundo exprimit?*

S A L O M O N.

Vt enim Africa Solis ardoribus & exustionibus valdè est obnoxia, ita & pectus officina est vitalis caloris in corde multiplicati, & continuò generati: Vbi enim propior Sol est siue verticalis, ibi oportet æstum esse maximum. Sol cor cœli est, & cor sol pectoris; ab utroque calor in sibi vicinas vel remotas partes proiicitur.

HYRAMVS.

**ÆNIGMA**  
299.*Quæ est operationis in utroque Corde vel Sole compara-**ratio?*

S A L O M O N.

Sol mundi attrahit ad se nubes ex aqua rarefactas, quas in ærem reducit, toti mundo conterminum, cœliq; substantiam purissimam: Peraërem deinde, tanquam per continuatum (at rarum) corpus mittit radios suos ad superiora & inferiora, nec non latera quæcunque. Eodem modo in paruo mundi systemate, hoc est, hominis pectori cor sanguinem attrahit puriorem, ex quo fabricat spiritus aërios seu igneos subtilissimos, tanquam radios, penetrantes per arterias in totum corpus: A spiritibus hisce motus fit cordis systoles & diastoles, veluti ipse Sol naturaliter suo quoque motu afficitur, quo totum cœlum permeat, & annum constituit.

HYRAMVS.

**ÆNIGMA**  
300.*Quis ad Chymiam viriusque mundi, magni e&t parui,**est respectus, cuius gratiâ hoc Colloquium in primis insti-**tuimus?*

S A L O M O N.

Mundos plures cum Platone non statuimus; sed unum, eumque summi & maximi Domini summum & maximum domicilium, sed huic duos paruos adhuc assimilari inuenimus, unum rationalem, qui

est He-

est Homo, alterum mixtionis simplicis subterrestrem seu metallicum; De illo iam diximus, nunc metallicum cum rationali magnoq; mundo comparabimus: Sol operatur in cœlo per radios, & Cor in homine per spiritus; sic habet terrestris ille mundus suum Cor & Solem, per quem operetur, & actiones suas perficiat: Hic est ille radius, à quo sua umbra tollenda est, ut Hermes monet, cùm inquit: *Fili, extrahē à radio suam umbram.* Ille autem radius spargitur sursum, usque ad Saturnum, & deorsum usque ad Lunam, quam, ut speculum, totam illuminat: Tria hæc, siue Corda, siue Solares mundani in triangulare à se inuicem sunt respectu, & unum alteri suas imprimunt vires, maius & efficacius semper minori.

## HYRAMVS.

*Habent Cor in corpore illo seu mundo metallico suum ENIGMA motum?*

301.

## SALOMON.

Imò; nisi enim moueretur, nulla vita esset in eo corpore. Habet & systolen & diastolen suam, quarum una expellit heterogenea & fumosa; altera attrahit homogenea, hoc est, quo Sol Lunam illustret per phases differentes, donec tota sit plena lumine; tum cessat hæc vita sensibilis, & alia nobilior incipit. Oportet tamen, ut in homine, adesse aërem, qui suâ naturâ est humidus, quo alteretur parumilla cordis calidior & siccior qualitas, ut spiritus fiant temperati. Quæ enim necessitas est respirationis in homine, eadem est in eo opere Chymico, quod sine aëre non emendatur. Vnde aliqui addunt: *Fac autem, ut aërem habeat.*

## HYRAMVS.

*Quid huic aëri respondet in maiorimundo?*

ENIGMA

302.

## SALOMON.

In Africa regione Soli maximè subiecta nunc degimus, in qua vix illa cadit pluia, propterea quia calor Solis consumat omnes nubes & effumationes; vnde quoque fluuios & fontes habet rariores. Ne autem desit agris humor, en natura constituit, ut eo tempore, quo ibi maximus est aestus, Nilus in Ægypto, & Nigrarum fluuius in Æthiopiam, tantâ aquarum copiâ abundant, ut in agros omnes excurrant,

*Ee cosq;*

eosq; irrigent, & fertiles reddant. Idem fit in pectori humano, in quo calor cordis tantus est, ut inde per totum corpus diffundatur; at per pulmonum attractiones aërias temperatur, & aliquo modo remittitur. In subiecto quoque Chymico, Vulcano operante, & Sole naturali simul, omnia comburereatur, nisi Nilus humectaret agros Chymicos, & omnem combustionem prohiberet: Sic enim Philosophi Nihil inquit, aliud est hoc magisterium, quām coquere argentum viuum, & sulphur, donec unum fiat argentum viuum, quod defendit sulphur à combustionē, si fuerit vas bene clausum, ita quod argentum viuum non posset evanescere, nec sulphur posset comburi, nec deuastari: quia argentum viuum nostrum est aqua clarissima nostra. Et videmus per exemplum in aquā communi, quod omne, quod cum ea coquitur, nunquam comburizur, donec ipsa aqua consumatur, quantumcunque etiam ipse ignis sit fortis: Et quando aqua consumpta est, hoc, quod in vase est, comburitur. Et ideo Philosophi iusserrunt claudere os vasis, ut aqua benedicta nostra non exhalaret; sed defendēret à combustionē hoc, quod in vase est: Aqua vero cum illis posita rebus, prohibuit, ne ignis combureret, & facta sunt illares. Quanto magis flamma occupatur, tanto magis aqua in intimis absconditurs, ne ignis calore latatur: Aqua vero in suo ventre eas recipit, & ignis flammam ab eis repellit. Hæc Rosarius. Nilus itaque dat aquam & aërem Ægypto, alias exsuccæ & exiccatæ, & pulmo ministrat cordi refrigerium aëris, nec non in Chymico subiecto aqua sive aëris prohibet, ne fiat rerum generandarum combustio.

## HYRAMVS.

**ENIGMA**  
303.

In Homine, seu pectori eius (quod Africam diximus) unde initium motus, & quid ei correspondet?

## S A L O M O N.

Diaphragma est cingulum pectoris interius, musculosæ substantiæ, distinguens pectus à ventre inferiore, tanquam interstitio quodam, quod voluntario & naturali motu competititur & extenditur. Huic Vulcani instrumentum seu ignis elementaris correspondet omnem motum primum illi suppeditans, vnde interior ignis naturæ motus, & à præternaturali adiutus animaduertitur. Sic dia-phragma,

phragma, pulmo, cor, & sanguis repræsentant quatuor Chymicorum ignes, naturalem, innaturalem, contra naturalem, & elementalem: Quæ viscera si quis debito modo consideret, & quæ singulorum sit utilitas & mutuum officium introspiciat: arcana Chymica iam dicta ignorare non poterit.

## HYRAMVS.

*Suntne quatuor elementa in his quatuor pectore con-* ENIGMA  
*rentis?* 304.

## SALOMON.

Sunt: Quia diaphragma terram exprimit, pulmo aërem, cor ignem, sanguis aquam. Omnim elementorum motio vel ad terram, vel à terra prouenit. Ex aquâ omnia creatura sunt in maiori mundo; sic ex sanguine omnia in minori constant. Sol dat calorem omnibus crescentibus; sic & cor singulis membris & visceribus vitam & spiritus viuificos: Aëris intermedius temperat omnia. De Aëre in Turba Philosophorum Eximidius, Deus, inquit, inter sydera & terram, resq; fouendas & coquendas, aëra constituit, qui stellas contineret, & prohiberet, ne (præsertim Solidis) flamma, taceo enim de ceteris, ait, ) omnia subsistentia combureret. Et si spiritibus, quibus creature generantur, aëris non inspiraret, omnia Sol suo calore subsistentia destrueret: sed & aqua frigiditate & humiditate sua omnia destrueret: nisi intercederet aëris: Aëris itaque cum calidus & humidus sit, sic concordat calorem ignis cœlestis & stellarum cum frigiditate aquæ, ut inter eos perpetua sit mansura amicitia, omniumque rerum existentium procedat fomentum, & decorationis beneficium. Hæc ille.

## HYRAMVS.

*Estne aer adeo necessarius ad opus, velut est homini* ENIGMA  
*respiratio seu aeris attractio per pulmonem?* 305.

## SALOMON.

Maxime: Nam utrobique eadem est necessitas, utilitas, & finis, respectu tamen habito ad subiectorum diversitatem. Homo non vivere potest momentum absque aëre inspirato; ita ut nec ignis absque aëre

permanet, sed mox extinguitur, aut suffocatur. Est enim flamma ignea, vel calor Solaris in Corde hominis, tanquam in suo somite, qui statim extingueretur absque aëre inspirato frigido. Ut enim in furno pistoris flamma lucidissima excitata statim suffocatur, si strictissime furni orificium occludatur, & in specubus seu cuniculis subterraneis profundissimis, in quos aëri intrare non potest, occlusis orificiis seu meatibus, lucerna mox extinguitur: ita fit in corde humano, in quo calor vivificus absque aëris inspiratione & expiratione perdurare non potest. Hæc est causa strangulationis animalium, si præcludatur via seu ingressus aëri ad cor. Eadem est ratio in metallico illo opere seu composito, in quo absque aëre nihil fit: Ideo iam dictus Eximidius in Turba sic pergit: Aëra magnifico & honorifico, eò quòd ipso opus emendatur, cum inspissatur & rarefcit, & cum calefcit & frigescit. Eius autem spissitudo fit, quando in cælo distinguuntur propter Solis elevationem: Eius verò raritas fit, quando ex altero Sole aër rarefcit, & calefit: Illo verò rarefcente, propè fit Sol: quo propinquo, calor peruenit homini & creaturis.

## HYRAMVS.

**ENIGMA**

306.

*Cur Nilus in maiori mundo potius aërem, quam aquam refert, respectu minoris, seu aeris attractionis in pectore?*

## SALOMON.

Nilus quidem aqua est, at pinguis & aëria, quæ multum limi & simili secum ferat ad lætificandos agros; ideo cum effectum aëris præstet, nempe pinguedinem & fertilitatem agrorum, quæ in caliditate & humiditate seu aëris qualitatibus consistit, ideò non iniuriâ pro aëre habetur. Inde prope Thebaidem Ægypti vrbem, Nilo recedente, ex pinguedine aëria seu limo eius nasci dicuntur mures magnâ copiâ, quod fertilitatis magnæ illius regionis, ex Nili inundatione prouenientis, singulare est indicium. Adebat præterea Nili pinguedini aëria ænitrofitas quædam, seu sal nitri, quo adiuuatur terræ fertilitas, dum eo quasi soluitur, & in primam materiam reducitur granum in terram coniectum, ut vegetare possit vberiùs, & plures fructus reddere. Idem contingit per simum, lætamen, sal petræ seu nitrum, aërem, operis Chymici: Illa enim est reductione in primam suam materiam, quâ habita, nullum est dubium, quin millescuplus fructus ex uno grano sperari & ha-

& haberi possit. Hic est cardo ostij Chymici, in quo vertitur tota illa scientia, quem si quis semel felici pede obtineat, non erit ei desperandum de adyis eius interioribus occupandis.

## HYRAMVS.

*De ortu Nili Ægyptii magna est controuersia, unde ÆNIGMA proueniat, an vero, ut fama est, ex montibus Lunæ descens⁹ dat, an aliunde, & quæ aeris in opere philosophico est origo?*

## SALOMON.

Constantior est fama, quod Nilus à Lunæ montibus profluat, qui in iubus dicuntur abundare in hyeme. At Hyems ibi contingit, quia versus Capricorni declinationem ab Æquatore sitis sint, quando Sol tropicū Cancri attingit; quo tempore æstas est in Ægypto. Tum itaque ex iuibus liquefactis, & à Lunæ montibus aquarum riuis cadentibus fit Nili inundatio per tres vel quatuor menses terram Ægypti tegentis, & elixantis calore operante. Reliquo tempore, nempe 8. vel 9. mensium fructus plerique bis proueniunt tantâ vertate, ut in inundationis mora celeritate compensetur. Est quoque ortus Nili Philosophici seu aërij (contra naturam dicti) ex Lunæ montibus deriuatus in Chymici subiecti agros. Inde dicitur sputum Luna, vt in Turba ab Astrato, qui inquit: *Qui veritatem vult assequi, capiat Solis humorem, & sputum Luna:* Et à Pythagora & Belo ibidem; Vocatur quoque aqua nitri à Cero ibidem, aliisque, *Nix & aqua Nili*, in Epistola Rhatis, quæ inquit: *Cum Nilo dealbatis, &c.*

## HYRAMVS.

*Cum Africa homines det nigros, utpote Æthiopes, ÆNIGMA seu Nigritas; an hoc quoque conuenit operi philosophico?*

## SALOMON.

Calor Solis cum operatur, comburit cutim hominum, & ad eam superfluitates interiores attrahit, veluti videmus contingere in iis, qui suspensi ad Solis æstum aliquamdiu habent nuda membra exposita, quod intra mensem ferè piceam nigredinem repræsentent in cute, quæ antea fuit alba. Eodem modo cum calor nostri Solis incipit operari, heterogenea elicet ad superficiem, & parit nigredinem, quæ dici-

tur terra nostra Æthiopiæ. Sic enim Riplæus in tractatu de Mercurio: Et, inquit, Mercurius noster, & noster spiritus vita, qui extrahitur ex illa benedicta terra Æthiopie. De hac nigredine Philosophi mille locis meminereunt. Sic Rosarius: Et licet Azoth appareat in prima mixtione seu coniunctione albus, pro eo, quod fœmina vincit suo colore, nihilominus in putrefactione, per ignis beneficium denigrantur ambo: Per ignem agentem in humido calore putreficit nigrum, quæ est tintura, & ideo seruanda est. Et Arnoldus: Cum primum denigratur, clauem operis dicimus esse, quoniam non sit absq; nigredine, &c. Speculum: Ideo, charissime fili, cum in opere fueris, fac, ut in principio habeas colorem nigrum, & tunc certus eris, quod putrefacis, & viam rectam procedias. Et ibidem in Rosar. Nam, vt dicit Aucenna in titulo de humoribus: Calor agens in humido corpore, primò generat nigredinem, vt est videre in calce, quæ apud vulgum fit. Hæc ille.

## HYRAMVS.

Sed relictâ Africâ, in Asiam nunc transeundum erit: Ego enim hîc subsisto.

## SALOMON.

**ENIGMA**

309.

*Inferior venter, ut dictum, in homine Asiam in magno mundo exprimit: At tuum erit, Regina, causam explicare similitudinis utriusque.*

## SABA.

Hæc regio corporis humani seu venter inferior continet omnia nutritionis viscera, & est quasi horreum & culina seu penus, ex quo degromuntur ad nutriendum totum corpus necessaria, hoc est, massa sanguinea, quæ præparatur in stomacho in formam chyli, ac deinde in epate reducitur per venas complexas in sanguinem, rubet coloris, separatis ab eo fæcibus nigris, per splenem, flavis & igneis per vesicam fellis, & aqueis per renes & vesicam. Est ibidem generationis fundamentum in venis spermaticis & aliis vasibus. Sic in Asiam maxima fertilitas celebratur; quia producuntur ibi animalia & fructus, nec non metallæ perfectæ in maiore abundantia, quam alibi. Illa dat aromata omnis generis, Balsamum, aurum, & omnia pretiosissima, etiam gemmas, rubinos, adamantes, & margaritas. Indiæ animalium & fructuum, nec non metallorum sunt feracissimæ. Est insuper humanæ generationis

&amp; rege-

& regenerationis initium in Asiā, nempe quia homo ibi sit conditus, & in Paradiso locatus benedictionem diuinam acceperit: Crescite & multiplicamini; vnde coloniae ductæ sunt seu propagationes in omnes reliquias mundi partes & insulas: Lapso verò primo homine in peccatum, & quasi mortuo, en regeneratio per CHRISTI nativitatem, & peccati expiatio, mortisq; aeternæ mortificatio per mortem eiusdem, qui peccati expers erat, subsecuta est.

## S A L O M O N.

*Cur Asiatici antiquitus molles & luxui dediti  
fuerunt?*

ENIGMA  
310.

S A B A.

Propter omnium rerum copiam & affluxum: Venter enim potius sensui, quam ingenio inseruit, plus palato tribuit, quam ieiunio. Plurimi in Asia Reges, ut adhuc, fuere diuersarum partium: Ita varia sunt viscera in inferiore ventre, quibus singulis sua sunt officia. Ut autem in homine tres sunt gradus vitae, nempe Vegetativa, Sensitiva, & Rationalis; ita Caput Rationale; Pectus cum Corde Sensitiva; Venter inferior vegetandi potentia proprie destinatus est.

## S A L O M O N.

*Adestne virtus vegetativa in Lapis Philosophico,  
hoc est, habentne Chymiae arcanum potentiam vegetandi,  
seu crescendi, se se augmentandi & propagandi?*

ENIGMA  
311.

S A B A.

Philosophi dicunt, tres esse lapides, vegetabilem, animalem, ac mineralē, non aliam ob causam, quam ut vires & efficaciam unius lapidis philosophici declarant: Unum enim idemque Chymiae subiectum vegetat, hoc est, ostendit vegetandi diuersas virtutes, animale est, seu anima quasi analogice praeditum, & minerale existit, quoad genus & prosapia.

## S A L O M O N.

*Quaratione Minerale dicitur?*

ENIGMA  
312.

S A B A.

**Excellen-**  
**tis. simile**  
**re in myste-**  
**xium.**

Quia ex mineris desumitur, & lapis metallicus non fit absque metallis, nec operatur, nisi in metalla, quoad mixtionem: Nulli enim misceri poterit, nisi metallico generi, nec ortus est, nisi ex Mercuriali tribu, ne crelinquit prolem, nisi sibi vxoriq; sua similem. Homo lapsus, & peccati reus, per hominem non lapsum omnis peccati expertem pristinæ integratæ restituitur, Deus Iesus seu ad iram & pœnam æternam humano generi infligendam à Deo pacatur, pater à filio; vnuus ab uno, & homine & Deo: Quæ sunt mysteria non prætereunda ab hominibus in Asia consideratione: Horum umbra est non exigui momenti, Metallorum expiatio per metalla.

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

313.

*At ut sacratissima illa non attingamus, estne in prophanis quid huic simile?*

## S A B A.

De eo nullum est dubium: Agamemnon Rex in Græcorum exercitu Chrysis Sacerdotis Apollinē filiam Chryseida abduxerat; Hinc ab Apolline pestis immissa toti exercitu, & lues horrenda, quæ expatriatione non potuit, nisi vnicā Agamemnonis filiā Iphigeniā maectata: Sic filia Regis, Sacerdotis filiæ illatam noxam vel iniuriam, lege talionis, sustulit & expurgauit: Ita oportet, vt Regis filia maectetur, si exercitus mineralium à labo suā purgari debeat.

## S A L O M O N.

**ENIGMA**

314.

*Quænam illa est Regis filia?*

## S A B A.

Quæ intra cancellos, vt rosa inter spinas, sedet, & prospicit, quis prætereat. Exire autem non potest, quia incarcerata tenetur, vt solet aliquando vsu venire, vt magni Reges hæredes sibi proximos, suspectos, ne regnum ad eos deuoluuntur, se se adhuc viuis, carceribus includant, & vincitos teneant, donec ipsis fatalis lux infest, quæ vitam cum imperio finiat. Demersa autem est in subterraneo fornice insulæ, vnius ex Fortunatis, quam qui educere sciet, non infortunatus haberi poserit.

S A L O -

## SALOMON.

De minerali satis: Cur lapis animalis vocatur?

SABA.

Philosophi s̄epissimē se explicant, cūm dicunt, quōd aliquas animæ potentias lapis ille ostendat, non quōd sensu aut motu sit conspicuus; sed, vt Rosarius inquit, quia Sole est animalis; quoniam recipit tria, scilicet constrictiōnem; albedinem & rubedinem, & vocatur ANIMAL MAGNUM: Et sal Ammoniacus fit ex eo. Idem dicit, quōd Luna vocatur plānta, & sal Alcali fit ex ea. Mercurius verò vocatur lapis mineralis, & fit sal commune de eo. Anima vegetabilis in eo propriè non inuenitur, multò minus sensitua, sed analogon animæ, quæ est forma ipsum perficiens.

SALOMON.

*Quomodo vegetare potest, cum lapis sit ex mineralibus, quibus vegetativa vis ascribi nequit?*

AMBIKA

ÆNIGMA

316.

SABA.

Verum est, quod sit ex minerali genere, non vegetabili; at nihilominus quia ars succurrit naturæ, & nouā generationem efficit partim ex ingenio naturæ, partim ex industria artis, nutritionis, augmentationis, generationis & multiplicationis: quædam non obscura in eo obseruantur. Quod si ars sola absque naturæ adminiculo quid tentaret, nihil omnino in illa generatione efficeret: ita si natura sola relinqueretur absq; artis auxilio, tinctura nunquam in effectum prodiret: Inde vna alteri dum manūm p̄ebet, fit id, quod aliás nunquam fieret. H̄.bemus exemplum euidentissimum in stemmate pyri, quod sit syluestris generis, & excisum prope truncum. Hoc vt anteā non bonos fructus, sed austeros & agrestes tulit, sic iam ita excisum omnino nullus dabit, sed vt inutile lignum, penitus arescit, nisi succurratur arte. Deinde habetur surculus ex pyro arbore generosissima depromptus, qui similiter arescit, nisi artis beneficio in integrum restituatur: Natura h̄ic nihil impedire potest, nec dare, quod non habet: Sed ars hortulani accedit, & surculum illum inserit stemmati sylvestri, prout decet, & breui temporis spatio ex illis duobus, fit vnum quid, nempe pyrus generosissima, non secundūm stirpis, sed surculi naturam, fe-

Ff

rens

tens fructus mitissimos & acceptissimos: Dum verò hæc alteratio & mangonium naturæ artisq[ue] sit, vegetativa virtus adest, quæ nutrit adscitum surculum per stemmatis radices, auget eum & in arborem promouet, quæ det folia, flores & fructus, veluti prosapia surculi ante dederat. Sic quoque in hoc opere, duo ex diuersis sphæris cœli collecta rediguntur in vnum compositum, & accidente Vulcano vaporoso, hoc est, calido & humido, velut natura postularat, fit inde vnum quid indiuisibile: Ut hoc fiat & vnum in aliud commigret, opus est alteratione & quasi nutritione, augmentatione & multiplicazione. Hinc lapis vegetabilis non immerito quoque dicitur.

## S A L O M O N.

**ÆNIGMA**  
317.

*De ventre humani corporis seu Asia satis, nunc ad quartam Mundi partem me confero, quæ America dicta est, cuius causam, cur parallela videri possit, cum artibus externis, tu Princeps illustrissime, declarabis.*

## H Y R A M V S.

Nullam quidem ego aliam video rationem huic comparationi subesse, nisi quod artus, hoc est, manus & pedes, vel coxendices & brachia separata appareant a reliquis tribus illis partibus in continuitate corporis intima existentibus. America enim ut gemina est, & Insula, hoc est, ab aliis distincta, sic quoque hæc extreæ partes: Hæ omnino sunt seruiles, aliisque subiectæ ad præstanta officia, nec aliiquid Imperii obtinent, sed Europæ in primis operas suas addicunt & dedicant.

## S A L O M O N.

**ÆNIGMA**  
318.

*Tantum mihi sufficiat de comparatione Mundi maioris & minoris: quibus alias de hominis natura & convenientia cum hoc naturali opere, nonnullas addemus: An igitur opus philosophicum homini non alias in toto aut parte assimilatur?*

HYRA-

## HYRAMVS.

Vtroque modo sexcenties, & amplius: Quoad totum; Aliqui dicunt in allegoriis, Accipe hominem & runde eum, &c. Quod brutales facilegē interpretati nescio quæ facinora perpetrasse dicuntur: sic seminiſ humani, Embryonis, fœtus, infantis, pueri, ſenis, mulieris, virginis, ſponsi & ſponſæ, mariti & vxoris, Hermaphrodyti, in numeris vicibus meminerunt, imò totum opus generationi humanae perſimile esse ferè omnes afferunt. Est enim ibi coniugium Gabrici & Beiae, coitus, conceptio, imprægnatio, ortus & nutritio, quæ ſingula centenis testimoniiſ comprobari poſſent, ſed in tam notoria materia non opus fore putamus. Omnes omnium Philosophorum libri has allegorias loquuntur, & in ſingulis suis paginis incalcent, ut interim mentionem non faciamus fiditiorum Deorum, heroum, & Dearum, ad ſolam Chymiam ſpectantium. In omnibus hiſee mater cum filio, frater cum ſorore, pater cum filia celebrant nuptias, & quo ſanguine ſint propiore coniuncti, eō operi magis accommodantur: Fit quoque cædes fratris à fratre, matris à filio, patris à filia aut filio, vel contra: Imò nihil unquam ab homine relatiue fieri potheſt, cui non affimilatio fiat in opere Philosophico, quæ omnia & ſingula ſi congerere velle-  
mus, magni instar voluminis videri poſſent.

## SALOMON.

Nolumus hīc cramben bis coctam apponere, & ſatis ENIGMA  
319-  
est, generalia vel verbo strinxiffe, ne omnia in omnibus agamus; adduc itaque ſaltem testimonia ex Authoribus, in quibus partium hominis meminerunt.

## HYRAMVS.

Hæc quoque ſunt infiniti numeri, ſed ſufficiet Aurora confu-  
gentis testimonia, cap. 8. & 9. de iis adducere: Hinc verò nota, inquit,  
quod quatuor rebus ex homine affimilatur, ſcilicet ſtercori, vrina, ſanguini &  
capillis. Stercori dicitur ſimile in qualitate terra fœtida infecta, vel ratione  
mali odoris inſufficientis. Et eſt lutum ſapientie, quo vasa firmantur. Vrina verò in  
qualitate aqua mundificantis vel abluentis ſine remouentis fœtorem terra, vel ex  
acuitate ſalts exiccantis. Sanguini in qualitate aëris penetrantis aut mollifi-

cantis duritiem terre, aut ratione coloris rubei remanentis super terram. Capillis autem in qualitate ignis comburentis & egredientis de terra. Et mox: Comparatur etiam quatuor rebus principalibus intra hominem, scilicet Cerebro, in aqua frigiditate; Cordi, in ignis caliditate; Epati, in aëris humiditate; Testiculis, in terra siccitate: Nam sedes phlegmatis est in cerebro, & sedes cholerae rubae in corde, & sedes sanguinis in Epate & sedes melancholiae in genitalibus collocatur. Et hæc prædicta notanter in uno corpore natura constituit, sed situs & operationes eorum diuersificantur. Nam in cholera virtus appetitiva intelligitur, quia colorat: In melancholia virtus retentiua, quia retinet colores: In sanguine virtus digestiva, quia tollit superflua: In phlegmate virtus expulsiva, siue mundificativa, quia dat veros & perfectos colores: Quinta autem virtus nec grauis, nec leuis, nec dura, nec mollis, sed propriè dicitur ita, quæ has quatuor coniungit in unum, ipsis tribuit vitam robustam atque perfectam. Hæc ille.

## S A L O M O N .

At nunc hominem, paruum illum Mundum, quoad nostrum propositum, satis perlustrauimus: Et sic laboribus prophanis hisce supersedebimus, & ex DEI præcepto crastino die Sabbathum celebrabimus, hoc est, requiem æterni Sabbathi post hunc Mundum sensibilem subsequuturi imaginem, quo ea, quæ ad intelle&tualem illum Mundum, ac DEI, Angelorum, beatorumque hominum conuersationem æternam spectare videntur, quoad humanitus in hac infirmitate licet, enucleabimus. Deo sit gloria  
pro hac tenus suâ concessâ nobis gratiâ.

F I N I S.

INDEX

INDEX

RERVM ET VERBO-  
RVM MEMORABILIVM, QVÆ  
IN HAC SEPTIMANA PHI-  
losophica continentur.

Prior atque coniunctionem copulatiuam sequens Numerus,  
paginam; Posterior autem, vel sequentes, versum (vulgò  
Lineam) significant.

A. Adamas, 17.18

 BECEDARII Physici, Adamus è rubra terra factus, 18.11.12.  
 72.31.32 protoplastus historiae animalium peri-  
 Abietes astu Solis vel motu tus, 156.3.4. & seqq.  
 funis incenduntur, 69. Admiratio res dignissima, 196.26. &  
 28.29 seqq.

Abstrusissimum, 201.27 Adonis apri violentia interemptus, 162.

Abusus omnia per se bona & innoxia, vertit 15.16. eius horiti, 117.26.27  
in mala & venena per accidens, 192. Aduersum natura, nunquam ipsi solide con-  
13.14 ciliari potest, adeo ut generatio ex utroq;  
per Accidentale aurum quid intelliga- fiat, 127

tur, 84.14 Adusilio semper adest iictui bombardico ex  
Accipitres marini, 182.36. & 183.1 puluere pyrio, vel igne, quo globus infici-  
Acetum acerrimum, 88.8.9. & 99.16 tur, 52.5

Archelaus in taurum mutatus, 63. 7. Ægyptus tritici ferax, 131.26  
eius cornu, ead.7.8. cornu copia, 160.22 in Ægypto formicas esse magnitudine lu-  
Achemenis, herba magica, 141.12.19. porum, 193.28. myrtus est odoratissi-  
20. eius radices vino potæ quid præstant, ma, 145.29 præsertim in locis mediter-  
ead.15. & seqq. raneis, à mari procul remotis, est raritas  
Achilles, 126. eius equi, 161.1. eorum nomi- aquarum, adeoq; & evaporationum,  
na, ibid. unde geniti, ibid.2. 45.10.11

donec ad iustum Acmen peruererint, 116. Ægypti cur tantas ceremonias cum bove  
12. & 197.4 celebrarint, 159. 26. & seqq. cur Cro-  
aci pisces quomodo pariant, 183. II codilum venerentur, 184.24. & seqq.

# I N D E X.

- selem adeo honorarunt, ut selem occidisse, Romano aliquando capitale fuerit, 166. 29. 30. Cur Crocodilum venerentur, 184. 24. & seqq. Cur Oxyringum pisces inter sacra animalia coluerint, 179. 29. 30. leges suas omnes, & sacras & profanas, Mercurio acceptas referebant, 158. 36. & 159. 1. 2.
- A**Elure pisces, 183. 12  
 Enigmata vernacula, 148. 28  
 Eolia insula, 45. 4  
 Aëris, 5. 33. & 6. 1. 2. ex aqua rarefacta fa-  
     ctus, 10. 6. 7. quomodo ex igne fiat, 37.  
     suo modo ad se mouendum impelli-  
     tur, 44. 10. 11. in quem finē, ibid. 11. 12.  
     in raritate & albo colore igni succedit, 17. 8. necessarius, & cur. 217. est cibus & potus plantarum, 116. 16. immo & to-  
     tius universi continentis, 46. 14. nulli,  
     nisi meteoris, natalem locum præbet. 46.  
     5. 6. 7. intermedius temperat omnia. 219. quandalumē Solis recipiat, 59. 30.
31. corpus rarum cum sit, non potest ita compingi, ut ferri vel marmoris soliditas habeat, ita ut ignis nubes penetrare nequeat nisi per ruptionē, 36. 10. 11. 12.  
 13. in locū inferiorib. sublunaribus cras-  
     for quam in superioribus, 7. 35. 36.
- Aëris & cœlum aërium in maiori Mundo, est ex aqua, 15. 3. 1  
 Aëris tenuior transit in crassiorē, 14. 20. cras-  
     for in aquā, ibid. crassor philosophicus centenarium numerum refert, 12. 13. 14. subtilis, colossus, millenarium, ibid. in epi-  
     nere plurimus est aduentius, 206. 36.
- Aëris qui assignetur, an cœlo, an terra, 14. 2. 3.
- est intermedius inter vtrumq., ibid. 6.  
 cum veroque conuenit, ibid.  
 Aëris terrestris, 95. 20. philosophicus seu chy-  
     micus, 14. 6. quid, 46. 17. interdum cœ-  
     lo ascribatur, interdum terra, pro diuer-  
